AD

ANNIVERSARIAM LUSTRATIONEM

GYMNASII ZITTAVIENSIS

DIEBUS XIV. XVI. MENSIS MARTII CIƆIƆCCCXLII

INSTITUENDAM

ATQUE AD

SOLEMNIA VALEDICTIONIS

IN EODEM GYMNASIO

A. D. XXI. MARTII

CELEBRANDA

OBSERVANTISSIME INVITAT

FRIDERICUS LINDEMANNUS,

DIR. GYMN.

Inest dissertatio de actione oratoria apud veteres. Accedunt narrata de rebus Gymnasii superiori anno gestis.

ZITTAVIAE EX OFFICINA SEYFERTI.

1842.

De actione oratoria apud veteres.

Demosthenes quum esset interrogatus, quam partem oratoriae artis iudicaret gravissimam atque efficacissimam, respondisse fertur, *actionem.* Iterum interrogatus, quid secundo loco ei videretur gravissimum in eadem arte, iterum *actionem* respondisse dicitur. Tertium interrogatus, quid tertio loco poneret, *idem* respondit. [1] Ex qua re intelligitur, non tantum praecipuam illam, sed solam fere iudicasse, in qua maxime elaborandum esset futuro oratori; ideoque ipse Demosthenes traditur apud Andronicum, nobilem illius temporis histrionem, huic rei studuisse ac diu operam dedisse. [2] Huc spectat etiam illud ab Aeschine dictum, qui quum propter ignominiam iudicii cessisset Athenis, et se Rhodum contulisset, rogatus a Rhodiis, legisse fertur orationem illam egregiam, quam in Ctesiphontem contra Demosthenem dixerat. [3] Qua perlecta petitum est ab eo postridie, ut legeret illam etiam, quae erat contra a Demosthene pro Ctesiphonte edita, quarum utraque hodie quoque exstat. Quam quum suavissima et maxima voce recitasset, admirantibus omnibus, adiecisse fertur: quanto magis admiraremini, si audissetis ipsum? [4] Ex quo satis, iudice Cicerone, significavit, quantum esset in

---

1. Cicero de Orat. III, 56. Idem in Bruto 38. Idem in Oratore c. 17. Brevissime rem exposuit in Bruto l. c. *Demosthenem ferunt ei, qui quaesierat, quid primum esset in dicendo, actionem, quid secundum, idem, et idem tertium respondisse.* Eandem rem narrat Quinctilianus, cuius locum statim apposituri sumus. Pseudoplut. in vit. X. orat. c. 8. *Ὅθεν ἐρομένου τινὸς αὐτὸν, τί πρῶτον ἐν τῇ ῥητορικῇ, εἶπεν· ὑπόκρισις. καὶ τί δεύτερον· ὑπόκρισις. καὶ τί τρίτον· ὑπόκρισις.*
2. Quinctilian. XI, 3, 6. *Siquidem et Demosthenes, quid esset in toto dicendi opere primum, interrogatus, pronunciationi palmam dedit, eidemque secundum et tertium locum, donec ab eo quaeri desineret; ut eam videri posset non praecipuam sed solam iudicasse. Ideoque ipse tam diligenter apud Andronicum hypocriten studuit* cett. Satyrum nominat Plutarch. in vita Demosthenis c. 4. Neoptolemum in alia causa narrat Pseudoplut. l. c. Andronicum denique in hac eadem, qua Quinctilianus, causa Pseudoplutarch. l. c.
3. Cicero de Oratore III, 56. Plin. Epistt. II, 3, 10. Philostr. de vitis Sophistar. I, 19, 5. Valer. Max. VIII, 10. Quinctilian. XI, 3, 7. Plin. Hist. Nat. VII, 30. Plin. Epistt. IV, 5, 1.
4. Cicero de Orat. III, 56. Plin. Epistt. II, 3, 10. *Nisi vero falsum putamus illud Aeschinis. Qui cum legisset Rhodiis orationem Demosthenis, admirantibus cunctis, adiecisse fertur: Τί δέ; εἰ αὐτοῦ τοῦ θηρίου ἀκηκόειτε;* Hieron. Epist. ad Paulin. Tom. III, pag. 4. *Habet nescio quid latentis ἐνεργείας viva vox et in aures discipuli de actoris ore transfusa fortius sonat. Unde et Aeschines, cum Rhodi exsularet et legeretur illa Demosthenis oratio, quam adversus eum habuerat, mirantibus cunctis atque laudantibus, suspirans ait: Quid si*

actione, qui orationem eandem aliam fore putaret actore mutato. Tanto igitur in honore erat apud veteres actio, tantumque ei tribuebant veteres oratores ipsi, quos omnis aetas omni in populo summos habere solita est. Est autem *actio*, ut hoc dubii eximendi causa statim ab initio declaremus, idem quod nostrates vocabulo non satis ad rem idoneo *declamationem oratoriam* vocant, quam eandem *pronunciationem* [5], paulo tamen ampliori significatione [6], veteres dicebant. Huic ipsi quoque rei omnes iuveniles exercitationes oratoriae, inde a primis annis haud minimam partem dicatae erant, ita ut oratoris institutio puerilis hac in re una maxime et plurimum versaretur. [7] Omnes disciplinae artis oratoriae, quas ex antiquitate habemus reliquas, huic generi haud exiguam totius voluminis et tractationis partem tribuunt, nunquam tamen oblitae addere hanc cautionem, gravissimam totius rei praeceptionem vivae magistorum institutioni, exemplo doctoris propriaeque exercitationi ad optima exempla instituendae esse reliquendam. In quam rem apposite dicit Rhetor ad Herennium lib. III, 11: *Pronunciationem* maxime utilem oratori dixerunt esse et ad persuadendum plurimum valere. Nos quidem unam de quinque rebus plurimum posse, non facile dixerimus; egregie magnam esse utilitatem in pronunciatione audacter confirmaverimus. Nam commodae inventiones et concinnae verborum elocutiones et partium caussae artificiosae dispositiones et horum omnium diligens memoria sine pronunciatione non plus, quam sine his rebus pronunciatio sola valere

---

ipsam audissetis bestiam sua verba resonantem? Pseudoplutarch. in vit. X. Orator. 6. *Ἀνέγνω τε τοῖς Ῥοδίοις τὸν κατὰ Κτησιφῶντος λόγον, ἐπιδεικνύμενος. θαυμαζόντων δὲ πάντων, εἰ ταῦτ' εἰπὼν ἡττήθη, Οὐκ ἂν ἐθαυμάζετε, ἔφη, Ῥόδιοι, εἰ πρὸς ταῦτα Δημοσθένους λέγοντος ἠκούσατε.*

5. Rhetor ad Herenn. III, 11. Quinctilian. XI, 3. init.
6. Quinctilian. l. c. *Pronunciatio a plerisque actio dicitur, sed prius nomen a voce, sequens a gestu videtur accipere. Namque actionem Cicero alias quasi sermonem, alias eloquentiam quandam corporis dicit.* Ὑπόκρισιν appellant Graeci. Cf. Pseudoplut. vit. X. orat. c. 8.
7. Huc pertinent non illae tantum rhetorum sententiae, quibus praecipiunt, ne ullum unquam tempus infantiae vacuum sit cura in futuro oratori, quemadmodum volebant Chrysippus et Quinctilianus (Institt. Oratt. I, 1, 16.); sed peculiaria quoque in hanc rem effata et praecepta, veluti cum Quinctilianus docet, linguam a tenerrima infantia esse exercendam et os conformandum I, 1, 37. *Non alienum fuerit, exigere ab his aetatibus, quo sit absolutius os et expressior sermo, ut nomina quaedam versusque affectatae difficultatis ex pluribus et asperrime coeuntibus inter se syllabis catenatos et velut confragosos quam citatissime volvant, χαλεποὶ Graece vocantur. Res modica dictu, qua tamen omissa multa linguae vitia, nisi primis eximuntur annis, inemendabili in posterum pravitate durantur.* Idem Quinctilianus praecipit, ut a primis inde annis puer dicendi primordia facere assuescat (Institt. Oratt. I, 9, 1.), quae Graecis doctoribus προγυμνάσματα dici solebant. Simile est, quod Quinctilianus suadet (ibid. I, 11. init.) ut mature puer tradatur comoedo eatenus, qua pronunciandi scientiam futurus orator desideret. In quibus haec maxime memoratu digna videntur (lib. I, 11. 12.): *Debet etiam docere comoedus, quomodo narrandum, qua sit auctoritate suadendum, qua concitatione consurgat ira, qui flexus deceat miserationem. Quod ita optime faciet, si certos ex comoediis elegerit locos, et ad hoc maxime idoneos, id est, a c t i o n i b u s similes. Iidem autem non ad pronunciandum modo utilissimi, verum ad augendam quoque eloquentiam maxime accommodati erunt. Et haec dum infirma aetas maiora non capiet. Ceterum cum legere orationes oportebit, cum virtutes earum iam sentiet, tum mihi diligens aliquis ac peritus assistat; neque solum lectione formet, verum etiam ediscere electa ex his cogat et ea d i c e r e s t a n t e m c l a r e et quemadmodum a g e r e oportebit, ut protinus p r o n u n c i a t i o n e vocem et memoriam exerceat.*

poterit. Quare nemo de ea re diligenter scripsit. *Nec posse putarunt de voce et vultu et gestu dilucide scribi, quum ea res ad sensus pertineret.* [8]

Non igitur mirum est, quod actione Cn. Lentulum plus opinionis consecutum, quam eloquentia, tradit Cicero [9]; eademque G. Gracchum in deflenda fratris nece totius populi Romani lacrimas concitasse [10], Antonium [11] et Crassum [12], oratores sui temporis laudatissimos, multum valuisse, plurimum vero Q. Hortensium [13], idem refert. Et huius quidem scripta, Hortensii dico, infra famam esse, testis est Quinctilianus [14], quanquam fuerit diu princeps oratorum existimatus, aliquando aemulus Ciceronis, novissime secundus a Cicerone. Ex quibus apparet, placuisse aliquid in eo dicente, quod a legentibus eius orationes non sit inventum. Fuerunt tamen iam apud veteres, qui rudem aliquam actionem et ab arte remotam, qualem impetus cuiusque animi tulisset, fortiorem et solam viris dignam iudicarent, ita ut arti et exercitationi nihil magnopere tribuerent; sed illos non alios fere esse putabat Quinctilianus, quam qui etiam in dicendo curam et artem et nitorem et quidquid studio pararetur, ut affectata et parum naturalia solerent improbare. [15] Iam quum inter nostrates quoque non pauci inveniantur, qui omnem

---

8. Nihilo tamen minus multi sunt rhetoricae artis scriptores in praecipiendis iis, quae de voce, vultu, gestu futuro oratori observanda et discenda iudicent. Largam de illis rebus praeceptionem reliquerunt Rhetor ad Herennium, Cicero in libris de Oratore, Quinctilianus in libro undecimo.

9. Cicero in Bruto c. 66. *Cn. antem Lentulus multo maiorem opinionem dicendi actione faciebat, quam quanta in eo facultas erat. Qui cum esset nec peracutus (quanquam et ex facie et ex vultu videbatur) nec abundans verbis (etsi fallebat in eo ipso); sic intervallis, exclamationibus, voce suavi et canora, admirando, irridendo calebat, in agendo ut ea quae deerant, non desiderarentur.* Adde Quinctilian. XI, 3, 8.

10. Cicero de Orator. III, 56, 214. *Quid fuit in Graccho, quem tu melius, Catule, meministi, quod me puero tantopere ferretur? Quo me miser conferam? Quo vertam? In Capitoliumne? At fratris sanguine redundat. An domum? Matremne ut miseram lamentantem videam et abiectam? Quae sic ab illo acta esse constabat, oculis, voce, gestu, inimici ut lacrimas tenere non possent.*

11. Cicero in Bruto c. 38. *Sed cum haec magna in Antonio, tum actio singularis; quae si partienda est in gestum atque vocem, gestus erat non verba exprimens, sed cum sententiis congruens; manus, humeri, latera, supplosio pedis, status, incessus omnisque motus cum rebus sententiisque consentiens. Vox permanens, verum subrauca natura. Sed hoc vitium huic uni in bonum convertebat. Habebat enim flebile quiddam in questionibus aptumque cum ad fidem faciendam, tum ad misericordiam commovendam; ut verum videretur in hoc illud, quod Demosthenem ferunt ei, qui quaesivisset, quid primum esset in dicendo, actionem, quid secundum, idem, et idem tertium respondisse. Nulla res magis penetrat in animos eosque fingit, format, flectit, talesque oratores videri facit, quales ipsi se videri volunt.*

12. Quid Crassus et qua ratione valuerit agendo, expositum legitur apud Cic. in Bruto c. 43. quibus conferantur, quae illum de se ipsum praedicantem fecit Cicero de Oratore III, 9, 33.

13. Cicero in Bruto c. 88, 303.

14. Quinctilian. XI, 3, 8.

15. In his eos quoque censebat esse Cicero, teste Quinctiliano XI, 3, 10., qui verborum atque ipsius soni rusticitate imitationem antiquitatis affectarent. Cf. Cic. de Orat. III, 11, 42. ubi sic: *Rustica vox et agrestis quosdam delectat, quo magis antiquitatem, si ita sonet, eorum sermo retinere videatur; ut tuus, Catule, sodalis, L. Cotta, gaudere mihi videtur gravitate linguae sonoque vocis agresti, et illud quod loquitur, priscum visum iri putat, si plane fuerit rusticanum.* Et Brut. c. 74. *Cotta, quia se valde dilatandis litteris a similitudine*

in arte oratoria institutionem puerilem, maxime vero quae est circa actionem et pronunciationem, procul habendam existiment, qui hominibus, ut sint oratores, satis putent nasci[16]; non absurde facere mihi visus sum, veterum de hoc genere praecepta colligere atque ostendere, quemadmodum veteres nihil crediderint esse perfectum, nisi ubi naturae facultas arte et cura fuerit adiuta. Agam igitur hoc scripto *de veterum actione oratoria.*

Quam rem secundum veteres artium scriptores ita sum partiturus, ut primum de necessitate eius, tum de figura vocis, denique de gestu exponam, omnia, si fieri possit, ac singula de his rebus praecepta a veteribus proposita colligam, collecta ante oculos ponam, atque ubi opus videatur, explicationem meam adiungam.

Quemadmodum paulo ante dixi, continebat *actio* sive *pronunciatio* omnia, quae praeter verba, verborum contexta et sententias ab oratore praestanda sunt. Est enim, ut Cicero[17] ait, actio quasi sermo corporis, qui menti congruens esse debet. In qua inesse quandam vim a natura datam, recte putabant veteres, qua vulgus, qua imperiti, qua denique barbari maxime commoverentur. Verba enim per se neminem movere statuebant[18]; sententias saepe acutas hominum non acutorum sensus praetervolare censebant, actionem omnes movere, quippe quae motum animi prae se ferat; iisdem enim omnium animos motibus concitari. Quapropter eandem in dicendo unam dominari credebant, ac sine ea summum oratorem in numero nullo esse posse aiebant, mediocrem ea instructum summos saepe superasse dictitabant.[19] Hanc igitur actionem veteres in figuram vocis, sive modulationem, atque in gestum, sive motum corporis divisam tractabant.[20] Utramque partem primum omnium naturae respondere ac sententiis accommodatam esse volebant, in quam rem Cicero haec adnotavit[21]: Omnis motus animi suum quendam a natura habet vultum et sonum et gestum totumque corpus hominis et eius omnis vultus omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsae. Et recte quidem. Est enim eloquentia ex illis artibus, quae verbis demum per-

---

Graecae locutionis abstraxerat sonabatque contrarium Catulo, subagreste quiddam planeque subrusticum, alia quidem, quasi inculta et silvestri via ad eandem laudem pervenerat.

16. Quinctilian. Institt. orat. XI, 3, 11.
17. Cicero de Orat. III, 59, 222. Idem Orator. c. 17. *Est enim actio qnasi* c o r p o r i s *quaedam* e l o q u e n t i a, *quae constat voce et motu.*
18. Cicero de Orat. III, 59, 223. *Atque in iis omnibus, quae sunt actionis, inest quaedam vis a natura data. Quare etiam hac imperiti, hac vulgus, hac denique barbari maxime commoventur. Verba enim neminem movent, nisi eum, qui eiusdem linguae societate coniunctus est; sententiaeque saepe acutae non acutorum hominum sensus praetervolant; actio, quae prae se motum animi fert, omnes movet; iisdem enim omnium animi motibus concitantur.*
19. Cicero de Oratore III, 56, 213. Quinctilian. XI, 3, 8. Dionysius Halicarn. de admir. vi dicendi in Demosth. c. 53. *Ἧς (τῆς ὑποκρίσεως) παρούσης μὲν, καὶ ταῖς ἄλλαις ἀρεταῖς γίνεται χώρα καὶ τότε. ἀπούσης δ', οὐδοτιοῦν ὄφελος οὐδ' ἐκείνων οὐδεμιᾶς.* Cic. Orat. c. 17. *Si enim eloquentia nulla sine hac, haec autem sine eloquentia tanta est, certe plurimum in dicendo potest.*
20. Cic. Brut. c. 38. Idem Orat. c. 17. Quinctilian. XI, 3. init. Dionys. Halicarn. de admir. vi dicendi in Demosth. c. 53. *Δίττην δὲ τὴν φύσιν αὐτῆς (τῆς ὑποκρίσεως) οὖσαν ὁρῶν, περὶ ἄμφω τὰ μέρη σφόδρα ἐσπούδασε. καὶ γὰρ τὰ πάθη τὰ τῆς φωνῆς καὶ τὰ σχήματα τοῦ σώματος, οἷς κράτιστα ἕξειν ἔμελλεν, οὐ μικρῷ πόνῳ κατειργάσατο.*
21. Cicero de Oratore III, 56, 216.

ceptis et sententiis mente intellectis animi assensum movent. Verba et oris effata intelligi volunt. Qui intellectus non apta tantum verborum pronunciatione, verum etiam gestu et motu corporis efficitur. Est enim a natum ita comparatus homo, ut quicquid loquatur, id non sine gestu eloqui possit, propterea quod totus corporis habitus et motus nihil est, nisi animi humani adumbratio ac veluti expressio. Quapropter etiam verba ore pronunciata ne intelligi quidem recte possunt, saltem non satis celeriter, alacriter ac vehementer animum auditoris movent, nisi corporis motu accommodate adiuta.[22] Qua de causa rectissime Cicero ait[23]: Facit enim actio dilucidam orationem et illustrem et probabilem et suavem, non verbis, sed varietate vocum, motu corporis, vultu; quae plurimum valebunt, si cum orationis genere consentient eiusque vim et varietatem subsequentur. Haec de necessitate actionis exposita sunto.

Igitur verba oratori primum apte pronuncianda sunt atque ita, ut et suaviter ad aures auditorum accidant, et facile intelligantur. Quare multi sunt artis oratoriae scriptores veteres in praecipiendo de *figura vocis.*[24] Et bonitatem quidem vocis optandam magis esse, quam effingi posse, si cui non data sit a natura, viderunt ipsi quoque veteres.[25] Sed tractationem et conservationem vocis penes oratorem esse et ab eo magnopere curandam, saepe praeceperunt. In quam rem certatim omnes Demosthenis exemplum attulerunt. In quo tantum studium fuisse tantusque labor dicitur[26], ut primum impedimenta naturae diligentia industriaque superaret; quumque ita balbus[27] esset, ut eius ipsius artis, cui studeret, primam litteram non

---

22. Apposite in hanc rem dicit Dionysius Halicarn. in libro supra citato c. 53. *Ταύτης δή φημι τῆς ἀρετῆς πάνυ δεῖν τοῖς ἐναγωνίοις λόγοις, εἰ μέλλουσιν ἕξειν πολὺ τὸ ἀληθινὸν καὶ ἔμψυχον.* Et idem ibidem postea c. 54. *Τίνες οὖν εἰσιν ὀργῆς καὶ ὀλοφυρμοῦ τόνοι καὶ ἐγκλίσεις καὶ σχηματισμοὶ προσώπου καὶ φοραὶ χειρῶν; Ἃς οἱ κατ' ἀλήθειαν ταῦτα πεπονθότες ἐπιτελοῦσιν. πάνυ γὰρ εὔηθες, ἄλλο τι ζητεῖν ὑποκρίσεως διδασκάλιον, ἀφέντας τὴν ἀλήθειαν.* Natura enim cogimur, actionem sententiis atque effatis accommodare, quae naturae necessitas in actione plane regnat.
23. Cicero de Partitione orat. c. 7, 25. Dionysius Halicarn. libro citato, ut ostendat *ἀναγκαίαν εἶναι ἀρετὴν τὴν ὑπόκρισιν περὶ λόγους,* haec profert: *τεκμήραιτο δ' ἄν τις, ἡλίκην ἰσχὺν τοῦτο τὸ στοιχεῖον ἔχει, καταμαθών, ὅσον ἀλλήλων ἀλλάττουσιν οἱ τραγῳδίας τε καὶ κωμῳδίας ὑποκρινόμενοι. τὰ γὰρ αὐτὰ ποιήματα λέγοντες, οὐχ ὡσαύτως ἡμᾶς κηλοῦσιν ἅπαντας, ἀλλ' ἐνίοις τ' ἀχθόμεθα, καὶ ὥσπερ ἀδικούμενοί τι, καθυποκρινομένοις καὶ διαφθείρουσι τὰς βουλήσεις τῶν ποιημάτων, χαλεπαίνομεν.*
24. Cicero de Orat. III, 57, 216. Idem ibidem III, 60, 224. 61, 227. Idem in Oratore c. 18, 59. Rhetor ad Herennium III, 11, 20.
25. Cicero in Orat. c. 18, 59. *Ac vocis quidem bonitas optanda est, non est enim in nobis. Sed tractatio atque usus in nobis. Ergo ille princeps orator variabit et mutabit; omnes sonorum tum intendens tum remittens persequitur gradus* cett. Idem de Oratore III, 60, 224. *Ad actionis usum atque laudem maximam sine dubio partem vox obtinet, quae primum est optanda nobis, deinde, quaecunqoe erit, ea tuenda.*
26. Cicero de Orat. I, 61, 260. Cic. de divin. II, 46, 96. Plin. Paneggr. c. 13. Quinctil. Institt. I, 11, 5. Valer. Max. VIII, 7, 1. Plutarch. vita Demosth. c. 4.
27. De hac Demosthenis balbutie reliquerunt multi. Cf. Quinctilian. I, 11, 5. Pseudoplutarchus in vita X. orator. c. 8. *Τό τε ῥῶ μὴ δυνάμενον λέγειν, ἐκπονῆσαι κ. τ. λ.* Cic. de Divinatione II, 46, 96. *Multi etiam naturae vitium meditatione atque exercitatione sustulerunt, ut Demosthenem scribit Phalereus, quum RHO dicere nequiret, exercitatione fecisse, ut planissime*

posset dicere, perfecit meditando h. e. exercitando, ut nemo planius eo locutus putaretur; deinde quum spiritus eius esset angustior, tantum continenda anima in dicendo est assecutus[28], ut una continuatione verborum, id quod eius scripta declarant, binae ei contentiones vocis et remissiones continerentur, hoc est, ut uno circuitu verborum, una periodo, ut nos dicere solemus, unoque spiritu vocem bis attolleret, bis remitteret. Idem etiam narratur coniectis in os calculis, summa voce, versus multos uno spiritu pronunciare consuevisse, neque id consistens in loco, sed inambulans atque ascensu arduo ingrediens.[29] Haec de Demosthene. Tantam autem in effingenda voce ponebant curam ac diligentiam veteres, ut peculiari uterentur in hoc genere magistro, quem phonascum[30] appellabant, qui hoc habebat negotii, ut oratori inter declamandum astans eius vocem assidue monendo et reprehendendo formare studeret. Quam in rem Suetonius[31] Augustum refert per omnem vitam assidue operam dedisse

---

diceret. Huc sine dubio spectabat illa exercitatio, quam Demosthenes instituisse dicitur calculis in os coniectis, de qua paullo post sermo. Cf. Quinctilian. XI, 3, 54. *Idem quo facilius verba ore libero exprimeret, calculos lingua volvens dicere domi solebat.*

28. Simile narrat Pseudoplutarchus in vita X. orator. c. 8. *Τοῦ δὲ πνεύματος αὐτῷ ἐνδέοντος, Νεοπτολέμῳ τῷ ὑποκριτῇ μυρίας δοῦναι, ἵνα ὅλας περιόδους ἀπνεύστως λέγῃ.*

29. Quanta cura versatus fuerit Demosthenes in voce effingenda et exercitanda, narrat Plutarchus in vita Demosth. c. 4. *Ἦν δέ τις, ὡς ἔοικε, καὶ φωνῆς ἀσθένεια καὶ γλώττης ἀσάφεια καὶ πνεύματος κολοβότης, ἐπιταράττουσα τὸν νοῦν τῶν λεγομένων τῷ διασπᾶσθαι τὰς περιόδους. τέλος δὲ ἀποστάντα τοῦ δήμου καὶ ῥεμβόμενον ἐν Πειραιεῖ δι' ἀθυμίαν, Εὔνομος ὁ Θριάσιος ἤδη πάνυ γέρων θεασάμενος ἐπετίμησεν, ὅτι, τὸν λόγον ὁμοιότατος τῷ Περικλεῖ, προδίδωσιν ὑπ' ἀτολμίας καὶ μαλακίας ἑαυτὸν, οὔτε τοὺς ὄχλους ὑφιστάμενος εὐθαρσῶς, οὔτε τὸ σῶμα πρὸς τοὺς ἀγῶνας ἐξαρτυόμενος, ἀλλὰ τρυφῇ περιορῶν μαραινόμενον. Πάλιν δέ ποτέ φασιν, ἐκπεσόντος αὐτοῦ καὶ ἀπιόντος οἴκαδε συγκεκαλυμμένου καὶ βαρέως φέροντος, ὑπακολουθῆσαι Σάτυρον τὸν ὑποκριτήν, ἐπιτήδειον ὄντα, καὶ συνελθεῖν. ὀδυρομένου δὲ τοῦ Δημοσθένους πρὸς αὐτὸν, ὅτι πάντων φιλοπονώτατος ὢν τῶν λεγόντων, καὶ μικροῦ δέον καταναλωκέναι τὴν τοῦ σώματος ἀκμὴν ἐς τοῦτο, χάριν οὐκ ἔχει πρὸς τὸν δῆμον, ἀλλὰ κραιπαλῶντες ἄνθρωποι, ναῦται καὶ ἀμαθεῖς ἀκούονται καὶ κατέχουσι τὸ βῆμα, παρορᾶται δὲ αὐτός· Ἀληθῆ λέγεις, ὦ Δημόσθενες, φάναι τὸν Σάτυρον, ἀλλ' ἐγὼ τὸ αἴτιον ἰάσομαι ταχέως, ἂν μοι τῶν Εὐριπίδου τινὰ ῥήσεων ἢ Σοφοκλέους ἐθελήσῃς εἰπεῖν ἀπὸ στόματος. Εἰπόντος δὲ τοῦ Δημοσθένους, μεταλαβόντα τὸν Σάτυρον οὕτω πλάσαι καὶ διεξελθεῖν ἐν ἤθει πρέποντι καὶ διαθέσει τὴν αὐτὴν ῥῆσιν, ὥσθ' ὅλως ἑτέραν τῷ Δημοσθένει φανῆναι, πεισθέντα δ' ὅσον ἐκ τῆς ὑποκρίσεως τῷ λόγῳ κόσμου καὶ χάριτος πρόσεστι, μικρὸν ἡγήσασθαι καὶ τὸ μηδὲν εἶναι τὴν ἄσκησιν, ἀμελοῦντα τῆς προφορᾶς καὶ διαθέσεως τῶν λεγομένων, ἐκ τούτου κατάγειον μὲν οἰκοδομῆσαι μελετητήριον, ὃ δὴ διεσώζετο καὶ καθ' ἡμᾶς—· ἐνταῦθα δὲ πάντως μὲν ἑκάστης ἡμέρας προσιόντα πλάττειν τὴν ὑπόκρισιν καὶ διαπονεῖν τὴν φωνήν. πολλάκις δὲ καὶ μῆνας ἑξῆς δύο καὶ τρεῖς συνάπτειν, ξυρούμενον τῆς κεφαλῆς θάτερον μέρος ὑπὲρ τοῦ μηδὲ βουλομένῳ πάνυ προελθεῖν ἐνδέχεσθαι δι' αἰσχύνην.* Hoc de cubiculo subterraneo refert etiam Pseudoplutarchus in vita X. orator. l. c., qui addit: *καὶ ἐπὶ στενῆς κλίνης κοιμᾶσθαι, ἵνα διὰ ταχέων ἀνίστηται. καὶ τὸν ὦμον ἐν τῷ μελετᾶν κινοῦντα ἀπρεπῶς, καταπαῦσαι, παραρτήσαντα ὀβελίσκον, ἢ ὥς τινες, ξιφίδιον ἐκ τῆς ὀροφῆς, ἵνα φοβούμενος ἠρεμοίη. προβαίνοντα δὲ κατὰ τὴν τῶν λόγων ἰσχὺν ἔσοπτρον ἰσομέγεθες αὐτῷ κατασκευάσαι καὶ πρὸς τοῦτο ἀφορῶντα μελετᾶν, ἵνα ἐπανορθώσηται τὰ ἐλλείποντα. καὶ κατιόντα ἐπὶ τὸ Φαληρικὸν, πρὸς τὰς τῶν κυμάτων ἐμβολὰς τὰς σκέψεις ποιεῖσθαι, ἵν' εἴ ποτε θυρυβοίη ὁ δῆμος, μὴ ἐκσταίη κ. τ. λ.* De incessu arduo adde Quinctilian. XI, 3, 54. *Exercendus autem est spiritus, ut sit quam longissimus; quod Demosthenes ut efficeret, scandens in adversum continuabat quam posset plurimos versus.*

30. *Phonascus παρὰ τὸ ἀσκεῖν τὴν φωνὴν* dictus, magister proprie fuit et exercitator histrionum in scena cantantium. Quinctilian. XI, 3, 19. *Sed cura non eadem oratoribus, quae phonascis, convenit; tamen multa sunt utrisque communia* cett.

31. Sueton. vita Octaviani c. 84.

phonasco, idemque in vita Neronis[32], postquam de victoriis in musico certamine a Nerone deportatis exposuit, ita pergit: Ac posthaec tantum afuit a remittendo laxandoque studio, ut conservandae vocis gratia neque milites unquam, nisi absens aut alio verba pronunciante, appellarit, neque quidquam serio iocove egerit, nisi adstante phonasco, qui moneret, parceret arteriis, ac sudarium ad os applicarit. Quae de Nerone narrata quamquam ad oratorem non pertinent, usum tamen phonasci, qui fuerit satis declarant. Admonet hic locus, ut de fistula Gracchi dicamus. Ait Cicero[33] in libris de oratore, nihil esse ad aures nostras vicissitudine, varietate et commutatione vocis aptius, nihil ad vocem obtinendam utilius, quam crebram commutationem. Itaque Gracchum servum habuisse ad manum, qui cum eburneola fistula occulte staret post ipsum, quum concionaretur. Fistulatorem illum fuisse hominem peritum, qui inflaret celeriter sonum, quo Gracchum aut remissum excitaret, aut a contentione revocaret. Hanc non satis diligentem Ciceronis relationem illustrat Aulus Gellius, qui rem sic refert, ut intelligatur, non hac de causa tibia canere solitum illum fistulatorem, ut variis modis tum demulceret animum actionemque eius, tum intenderet, sed ut fistula graviorem inspiraret sonitum ad reprimendum sedandumque impetum vocis. Similia habet Quinctilianus, qui haec dicit: Concionanti G. Graccho consistens post eum musicus, fistula, quam *τονάριον* vocant, modos, quibus deberet intendi, ministrabat; atque haec ei cura inter turbidissimas actiones vel terrenti optimates, vel iam timenti fuit. Fistulam illam sic describit Plutarchus in libro *περὶ ἀοργησίας*[34], ut dicat, fuisse *φωνασκικὸν ὄργανον, ᾧ τοὺς φθόγγους ἀναβιβάζουσι,* instrumentum ad exercitandam vocem adhibitum, quo solerent vocem oratoris intendere, et altero loco, fuisse *συρίγγιον ᾧ τὴν φωνὴν οἱ ἁρμονικοὶ ἐν ταῖς σχολαῖς ἐπ' ἀμφότερα διὰ τῶν τόνων ἄγουσι,* fistulam sive tibiolam, qua musici in scholis vocem in utramque partem ducere soleant; hoc autem in utramque partem nihil aliud significare potest, nisi ad intensionem et ad remissionem; scholas autem patet scholas rhetoricas intelligi. Utcunque res sese habuerit, hoc satis videtur certum esse, fistulam illam non tantum ad regendam vocem, verum etiam ad exercitandam fuisse adhibitam, ex quo intelligi puto, fistulatorem illum Gracchi fuisse phonascum, quo summus suorum temporum orator non intra privatos tantum parietes ad vocem effingendam, verum etiam in publica concione fuerit usus.

Figuram vocis h. e. vocis variandae facultatem suum quendam possidere habitum, ratione et industria comparatum, auctor est Rhetor ad Herennium.[35] Idem eandem dividi ait in tres partes, magnitudinem, firmitatem ac mollitudinem. Magnitudinem vocis ait comparari natura, eandem nonnihil augeri, sed maxime tamen conservari cura. Firmitatem vero non natura sed cura comparari, nonnihil adaugeri et maxime conservari ratione declamationis. Molli-

---

32. Idem Neron. c. 25.

33. Cicero de orat. III, 60, 225. Quinctil. I, 10, 27. A. Gellius I, 11. Valer. Max. VIII, 10.

34. Add. Dio Cassius Excerpt. Peiresc. XC. *Καὶ ἐπειδὴ πολλῇ μὲν πυκνότητι ἐνθυμημάτων, πολλῇ δὲ καὶ σφοδρότητι ὀνομάτων ἐπίπαν ἐδημηγόρει, καὶ ἐκ τούτου οὔτε κατέχειν ῥᾳδίως ἑαυτὸν ἐδύνατο, καὶ ἐπειδὴ πολλάκις ἐς ἃ οὐκ ἤθελεν εἰπεῖν ἐξεφέρετο, αὐλητὴν ἐπήγετο. Καὶ παρ' ἐκείνου ὑπαυλοῦντός οἱ ἐῤῥυθμίζετο καὶ ἐμετρίαζεν, ἢ καὶ εἴ πη καὶ ὥς ἐξέπιπτεν, καθίστατο.*

35. Rhetor ad Herenn. III, c. 11. seqq.

tudinem denique vocis, h. e. facultatem torquendi vocem ad nostrum commodum in dicendo, maxime effici moderatione atque exercitatione declamationis. Magnitudinem vocis a natura nobis datam, ut idem dicere pergit, conservat cura valetudinis. Firmitatem[36] ita fere conservabit ratio declamationis, si quam maxime sedata et depressa voce principia dicemus; nam laeduntur arteriae sive fauces, si ante, quam levi voce permulsae sunt, acri clamore compleantur atque intendantur. Etiam intervallis longioribus uti convenit; recreatur enim vox spiritu ducendo et arteriae reticendo conquiescunt. Vitandum[37] esse praecipit idem continuum clamorem et acutas vocis exclamationes; has enim vocem et fauces vulnerare et auditorem laedere[38]; habere quoque quiddam illiberale et ad muliebrem potius vociferationem, quam ad virilem dignitatem in dicendo accommodatas esse.[39] Remque ita ait esse comparatam, ut quae ad vocis firmitatem faciant, eadem attineant ad suavitatem pronunciationis. Mollitudinem vocis eandem intellectam esse, quam nos dicamus flexibilitatem, ex eodem Rhetore ad Herennium colligimus.[40] Eam cerni voluerunt veteres sermone, contentione, amplificatione. Sermonem intelligebant orationem remissam et finitimam quotidianae locutioni. Contentionem aiebant esse orationem acrem et ad confirmandum confutandumque accommodatam. Amplificationem dicebant orationem, quae aut ad iracundiam induceret aut ad misericordiam traheret auditoris animum. Sermonis proprias esse voluerunt partes quatuor: dignitatem, demonstrationem, narrationem, iocationem. Dignitatem vocis dicebant constare oratione cum aliqua gravitate et vocis remissione coniuncta; demonstrationem docere aiebant remissa voce, quomodo quid fieri potuisset aut non potuisset. Narrationem conspicuam esse volebant expositione tranquilla rerum gestarum aut perinde ut gestarum. Iocationem denique versari in oratione, quae ex aliqua re risum pudentem et liberalem posset comparare. Contentionem autem atque amplificationem ita describunt, ut ad movendos animos eas figuras vocis fuisse accomodatas intelligatur. Itaque contentionem in continuationem et distributionem dividebant, quarum illam esse volebant orationis accelerationem clamosam, hanc orationem frequentem cum raris ac brevibus intervallis, acri vociferatione. Amplificationem vero in cohortationem et conquestionem dividebant, de quibus cohortationem dicebant orationem, quae aliquod peccatum

---

36. Idem III, c. 12.

37. Idem ibidem. *Et continuum clamorem remittere et ad sermonem transire oportebit; commutationes enim faciunt, ut nullo genere vocis effuso in omni voce integri simus; et acutas vocis exclamationes vitare.*

38. Idem ibidem. *Ictus enim fit et vulnerantur arteriae hac acuta atque attenuata nimis acclamatione, et si quis splendor est vocis, consumitur uno clamore universus. Et uno spiritu continenter multa dicere in extrema convenit oratione. Fauces enim calefiunt et arteriae complentur et vox, quae varie tractata est, reducitur in quendam sonum aequabilem atque constantem. Saepe rerum naturae gratia quaedam iure debetur, velut accidit in hac re. Nam quae diximus ad vocem servandam prodesse, eadem attinent ad suavitatem pronunciationis, ut quod nostrae voci prosit, idem voluptati auditoris probetur.*

39. Idem ibidem. *Acuto exclamatio vocem et fauces vulnerat, eadem laedit auditorem. Habet enim quiddam illiberale et ad muliebrem potius vociferationem, quam ad virilem dignitatem in dicendo accommodatum.*

40. Idem ibidem c. 13.

amplificans auditorem ad iracundiam adduceret; conquestionem censebant esse orationem, quae incommodorum amplificatione animum auditoris ad misericordiam perduceret. Quomodo autem haec omnia ab oratore efficienda sint, quibus vocis flexionibus utendum, ut ista omnia assequatur, tam minuta tamque numerosa exstant veterum praecepta, ut ea omnia persequi longum atque ab hoc nostro genere orationis alienum videatur.[41] **Qua de re potius audiendus videtur esse Cicero, qui generalia magis de figura vocis praecepta reliquit. Is enim naturae convenienter voce utendum esse declarat, atque ita, ut singulae quaeque cogitatorum ac sensorum varietates vocis variatione exprimantur. Nam voces, ait, chordarum sunt instar intentarum**[42]**, quae ad quemque tactum respondeant, acuta, gravis; cita, tarda; magna, parva; quas tamen inter omnes est suo quaeque in genere mediocris. Atque etiam illa sunt ab his delapsa plura genera: lene, asperum; contractum, diffusum; continenti spiritu, intermisso; fractum, scissum; flexo sono attenuatum, inflatum.**[43] **Hi sunt actori h. e. oratori, ut pictori, expositi ad variandum colores. Praeterea vult Cicero**[44]**, esse in omni voce medium quoddam**

---

41. Horum pauca subiunximus. Rhetor ad Herenn. l. c. c. 14. *Sermo quum est in dignitate, plenis faucibus quam sedatissima et depressissima voce uti conveniet, ita tamen, ut ne ab oratoria consuetudine ad tragicam transeamus. Quum autem est in demonstratione, voce paululum attenuata, crebris intervallis et divisionibus uti oportebit, ut ipsa pronunciatione eas res, quas demonstrabimus, inserere atque intersecare videamur in animis auditorum. Quum autem sermo in narratione est, tum vocum varietate opus est, ut quo quidque pacto gestum sit, ita narrari videatur. Strenue quod volumus ostendere factum, celeriuscule dicemus, at aliud otiose, retardabimus. Deinde modo acriter, tum clementer, moeste, hilariter, in omnes partes commutabimus, ut verba, ita pronunciationem. Si qua inciderint in narratione dicta, rogata, responsa, si quae admirationes, de quibus nos narrabimus; diligenter animum advertemus, ut omnium personarum sensus atque animos voce exprimamus. Sin erit sermo in iocatione, leniter tremebunda voce, cum parva significatione risus, sine ulla suspicione mimicae cachinnationis leviter oportebit a sermone serio torquere ad liberalem iocum vocem. Quum autem contendere oportebit, quoniam id aut per continuationem aut per distributionem faciendum est; in continuatione, adaucto mediocriter sono vocis, verbis continuandis, vocem quoque iungere oportebit et torquere sonum et celeriter cum clamore verba conficere, ut vim volubilem orationis vociferatio consequi possit. In distributione ab imis faucibus exclamationem quam clarissimam adhibere oportet; et quantum spacii per singulas exclamationes sumserimus, tantum in singula spacii consumere iubemur. In amplificationibus cum cohortatione utemur voce attenuatissima clamore leni, sono aequabili, commutationibus crebris, maxima celeritate. In conquestione voce depressa, inclinato sono, crebris intervallis, longis spaciis, magnis commutationibus.*
42. Cicero de oratore III, 57, 216. Orat. 17. *Vocis mutationes sunt totidem, quot animorum, qui maxime voce commoventur.*
43. Haec docte atque ad rem accommodate explicat V. Cl. Ios. Nic. *Schmeisser*, Friburgensis, in libro sic inscripto: Theoretisch-practisches Lehrbuch der Rhetorik. Carlsruhe, 1838. p. 268. ubi haec leguntur: Ist die Stimme und Aussprache im Allgemeinen gut, rein und angenehm; so werde sie in den einzelnen Fällen nach der Natur der auszudrückenden Idee oder Empfindung jedesmal so verändert, dass sich das Wesen des Gedankens oder Gefühls in ihrem Tone vollkommen ausspreche. Man unterscheidet nämlich den hohen und tiefen, den beeilten und langsamen, den starken und schwachen Ton. Aus diesem gehen aber noch verschiedene Mitteltöne hervor, der sanfte und rauhe, der abgestossene und gedehnte, der anhaltende und der durch das Athmen unterbrochene, der schwache oder gedämpfte, der überschlagende oder kreischende, der Mollton und der hochanschlagende Durton.
44. Sequentia sic explicat Schmeisser, V. Cl., loco citato: Wie vielfach aber die Töne sein mögen; so gehen doch alle von *einem* aus, auf den deswegen der Redner hauptsächlich zu

et naturale, quod pariter in omni oratione tenendum atque usque ad extremum servandum sit. Hinc gradatim ascendere, utile esse iudicat ac suave; nam a principio clamare agrestre quiddam existimat. Deinde esse quiddam ait in remissione gravissimum, ad quod per sonorum gradus sit descendendum. Hanc varietatem, dicere pergit, et hunc per omnes sonos vocis cursum summam orationi afferre suavitatem, et tamen unum sonum, uniusque vocis tenorem per totam orationem sese tueri. Ut vero hic tenor usque ad finem orationis obtineatur, nihil utilius esse, quam crebram mutationem docet; nihil contra perniciosus, quam effusam sine intermissione contentionem. Nihil enim ad aures accommodatius, nihil ad actionis suavitatem esse vicissitudine et varietate et commutatione aptius.[45] Hanc varietatem effici peculiari singulorum affectuum animi pronunciatione iudicat. Omnes enim animi affectus peculiarem quendam requirere sonum. Aliud vocis genus iracundiam sibi sumere, acutum, incitatum, crebro incidens; aliud miserationem ac moerorem, flexibile, plenum, interruptum, flebili voce; aliud metum, demissum et haesitans et abiectum; aliud vim, contentum, vehemens, imminens, quadam incitatione gravitatis; aliud voluptatem, effusum, lene, tenerum, hilaratum ac remissum; aliud molestiam, sine commiseratione grave quoddam et uno pressu ac sono obductum.[46] Iam haec satis dicta sunto de figura et modulatione vocis.[47] Superest, ut de motu corporis sive gestu, quid praeceperint veteres, breviter adiungamus.

---

achten hat. Eine jede Stimme hat nämlich einen gewissen, ihr eigenen, Mittel- oder natürlichen Grundton. Von diesem steigt man allmählig in die Höhe, jedoch nur bis zu dem Puncte, auf welchem die Stimme noch angenehm ist, und von demselben Grundtone geht man nach und nach in die Tiefe; aber auch hier übertreibe man nicht. Unangenehm wäre diese Veränderung des Tones, wenn der Declamator in raschen Sprüngen von der Höhe in die Tiefe, und umgekehrt, übergehen würde.

45. Cum his comparare iuvabit, quae habet Schmeisserus, V. Cl., loco citato pag. 269. Die Stimme bleibe sicher und ausdauernd bis ans Ende des Vortrags. Um diese anhaltende Festigkeit zu erlangen, ist vielfache Uebung nöthig; auch lasse man während des Vortrags rücksichtlich der Stärke und Schwäche der Töne einen Wechsel eintreten. Denn nichts ist der Stimme schädlicher, als wenn man fortdauernd mit gleicher Kraft und Anstrengung sprechen will.

46. Schmeisser l. c. pag. 270. Die einzelnen Affecte verlangen eine eigenthümliche Art des Vortrags. Es kann hier freilich nur Einzelnes angedeutet werden. Wem die Natur ein richtiges Gefühl verliehen hat, der wird durch aufmerksame Beobachtung bald lernen, wie die Affecte durch den Ton der Stimme dargestellt werden müssen. Man bemerke übrigens Folgendes. Der *Zorn* wird mit einer hohen, gewaltsamen, schnellen, stossenden und abgebrochenen Stimme, die bei der Steigerung derselben zur Wuth kreischend werden kann, ausgedrückt. *Mitleid*, *Betrübniss* und *Kummer* spricht in gedämpften, langsamen und gedehnten Tönen, mit einer durch Seufzen unterbrochenen Stimme. Die *Furcht* drückt sich in schwachen und leisen Tönen, mit einer beklommenen, gesenkten und zitternden Stimme aus. *Muth* und *kraftvolles Feuer* bedient sich angestrengter, nachdrücklicher, gewaltvoller Töne, drohend mit Heftigkeit und Ernst. *Vergnügen* äussert sich durch einen höheren Wohllaut, in einer ergussvollen, zarten und sanften, fröhlichen, aber im Ganzen doch gelassenen Sprache. Der *Verdruss* spricht in einem schwerfälligen einförmigen und dumpfen Tone, jedoch nicht in einer kläglichen oder jammernden Sprache.

47. Hic adiungenda censuimus, quae de figura ac modulatione vocis apud Quinctilianum XI, 3, 14. seqq. leguntur. *In voce prima observatio est, qualem habeas; secunda, quomodo utaris. Natura vocis spectatur quantitate et qualitate. Quantitas simplicior; in summa enim grandis aut exigua est. Sed inter has extremitates mediae sunt species, et ab ima ad*

De corporis motu in universum sic praecipiunt, ut gestus non sit singula verba exprimens, qualis sit scenicus h. e. histrionum, sed universam rem et sententiam, non demonstratione, sed significatione declarans; laterum inflexione forti ac virili, non ab scena et histrionibus, sed ab armis aut etiam a palaestra petitus.[48] Et quum omnem scenicum apparatum vitandum esse censerent veteres, consequens erat, ut nimium etiam in vestitu cultum nimiamque elegantiam fugiendam esse praeciperent. Sic, teste Aulo Gellio[49], Demosthenem tradunt et vestitu eleganti et cultu corporis nitido venustoque nimisque accurato fuisse, quod magnopere in eo est reprehensum. Hinc *κομψὴ* illa *χλανίς*, ut ait idem Gellius, *καὶ μαλακοὶ χιτωνίσκοι*[50] ab aemulis adversariisque ei probro sunt data. Hinc etiam turpibus indignisque in eum verbis non temperatum, quin parum vir et ore quoque polluto diceretur.[51] Ad eundem

---

summam et retro multi sunt gradus. Q u a l i t a s magis varia est. Nam est et c a n d i d a et f u s c a et p l e n a et e x i l i s et l e v i s et a s p e r a et c o n t r a c t a et f u s a et d u r a et f l e x i b i l i s et c l a r a et o b t u s a. Spiritus etiam longior breviorque. Nec causas, cur quidque eorum accidat, persequi proposito operi necessarium est; eorumne sit differentia, in quibus aura illa concipitur, an eorum, per quae velut organa meat; an ipsi propria natura, an prout moveatur; lateris pectorisve firmitas, an capitis etiam plus adimet. Nam opus est omnibus, sicut non oris modo suavitate, sed narium quoque, per quas, quod superest vocis, egeritur. — Utendi voce multiplex ratio. Nam praeter illam differentiam, quae est tripertita, acutae gravis, flexae, tum intentis tum remissis tum elatis tum inferioribus modis opus est; spaciis quoque lentioribus et citatioribus. Sed his ipsis media interiacent multa; et ut facies, quanquam ex paucissimis constat, infinitam habet differentiam; ita vox etsi paucos, quae nominari possint, continet species, propria cuique est, et non haec minus auribus, quam oculis illa, dignoscitur. Augentur autem sicut omnium, ita vocis quoque bona, cura, negligentia minuuntur. Sed cura non eadem oratoribus, quae p h o n a s c i s convenit; tamen multa sunt utrisque communia.

48. Cicero de Oratore III, c. 59, 220. Vituperat scenicum dicendi apparatum Plin. Epp. II, 14, 12, 13. Cf. Tacit. dialog. de Oratoribus c. 26. *Adeo melius est oratorem vel hirta toga induere, quam fucatis et meretriciis vestibus insignire. Neque enim oratorius iste, immo, hercule, ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum actores ita utuntur, ut lascivia verborum et levitate sententiarum et licentia compositionis histrionales modos exprimant. Quodque vix auditu fas esse debeat, laudis et gloriae et ingenii loco plerique iactant cantari saltarique commentarios suos. Unde oritur illa foeda et praepostera, sed tamen frequens quibusdam exclamatio, ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur.*

49. Aulus Gellius Noctt. Attic. I, 5.

50. Cf. Aeschinis orationem contra Timarch. c. 18. *Εἰ γάρ τίς σου τὰ κομψὰ ταῦτα χλανίσκια περιελόμενος καὶ τοὺς μαλακοὺς χιτωνίσκους, ἐν οἷς τοὺς κατὰ τῶν φίλων λόγους γράφεις, περιενέγκας δοίη εἰς χεῖρας τῶν δικαστῶν, οἶμαι ἂν αὐτούς, εἴ τις μὴ προειπὼν τοῦτο ποιήσειεν, ἀπορῆσαι εἴτε ἀνδρὸς εἴτε γυναικὸς εἰλήφασιν ἐσθῆτα.*

51. Horum verborum quaedam commemorat Plutarchus in vita Demosth. c. 4. *Ἦν γὰρ ἐξ ἀρχῆς κάτισχνος καὶ νοσώδης καὶ τὴν λοιδορουμένην ἐπωνυμίαν, τ ὸ ν β ά τ α λ ο ν, εἰς τὸ σῶμα λέγεται σκωπτόμενος ὑπὸ τῶν παίδων λαβεῖν. Ἦν δ' ὁ Β ά τ α λ ο ς, ὡς μὲν ἔνιοί φασιν, αὐλητὴς τῶν κατεαγότων. Καὶ δραμάτιον εἰς τοῦτο κωμῳδῶν αὐτὸν, Ἀντιφάνης πεποίηκεν. Ἔνιοι δέ τινες ὡς ποιητοῦ τρυφερὰ καὶ παροίνια γράφοντος τοῦ Βατάλου μέμνηνται. Δοκεῖ δὲ καὶ τῶν οὐκ εὐπρεπῶν τι λεχθῆναι τοῦ σώματος μορίων παρα τοῖς Ἀττικοῖς τότε καλεῖσθαι β ά τ α λ ο ς. Ὁ δ' Ἄ ρ γ α ς, καὶ τοῦτο γάρ φασι τῷ Δημοσθένει γενέσθαι παρώνυμον, ἢ πρὸς τὸν τρόπον, ὡς θηριώδη καὶ πικρὸν, ἐτέθη· τὸν γὰρ ὄ φ ι ν ἔνιοι τῶν ποιητῶν ἄργαν ὀνομάζουσιν, ἢ πρὸς τὸν λόγον, ὡς ἀνιῶντα τοὺς ἀκροωμένους· καὶ γὰρ Ἄργας τοὔνομα ποιητὴς ἦν νόμων πονηρῶν καὶ ἀργαλέων.* Non recte videtur Plutarchus explicuisse nominum istorum turpium rationem et caussam.

modum Q. Hortensius, omnibus ferme oratoribus aetatis suae, nisi Marco Tullio Cicerone, clarior, quod multa munditia et circumspecte compositeque indutus et amictus esset, manusque eius inter agendum forent argutae admodum et gestuosae, maledictis et compellationibus probrosis iactatus est, multaque in eum, quasi in histrionem, in ipsis causis atque iudiciis dicta esse feruntur. Sed quum aliquando L. Torquatus, subagresti homo ingenio et infestivo, gravius acerbiusque in consilio iudicum coram tribunale, quum de causa Sullae quaereretur, non iam histrionem[52] eum esse diceret, sed gesticulariam, Dionysiamque[53] eum, notissimae illo tempore saltatriculae nomine appellaret; tum voce molli atque demissa Hortensius, Dionysia, inquit, malo equidem esse, quam quod tu, Torquate, homo *ἄμουσος, ἀναφρόδιτος, ἀπροσδιόνυσος.*

Corporis autem motum oratorium, h. e. omne id, quod oratori praeter vocem in dicendo praestandum et observandum esset, dividebant veteres in praecepta circa gestum et vultum.[54] Et quod primum quidem ad vultum attinet, eum secundum vocem plurimum posse, eumque maximam afferre cum dignitatem tum venustatem censebant.[55] In vultu autem omnem dominatum esse oculorum credebant.[56] Animi enim adumbrationem esse omnem actionem, ima-

52. Cf. Lange Vindiciae tragoediae Rom. pag. 35.
53. Cf. Cicero pro Roscio Comoedo c. 8.
54. Cicero de oratore III, 59. Orat. 17. Rhetor ad Herennium III, 15. *Motus est corporis gestus et vultus moderatio quaedam, quae pronuncianti convenit et probabiliora reddit ea, quae pronunciantur.*
55. Cicero Orat. 18. fin. *Vultus vero, qui secundum vocem plurimum potest, quantam affert tum dignitatem tum venustatem! In quo cum effeceris, ne quid ineptum aut vultuosum sit, tum oculorum est quaedam magna moderatio. Nam ut imago est animi vultus, sic indices oculi, quorum et hilaritatis et vicissim tristitiae modum res ipsae, de quibus agetur, temperabunt.*
56. Cicero de Oratore III, 59, 221. *Sed in ore sunt omnia. In eo autem ipso dominatus est omnis oculorum. Quo melius nostri illi senes, qui personatum ne Roscium quidem magnopere laudabant.* Quinctilian. XI, 3, 75. *Sed in ipso vultu plurimum valent oculi, per quos maxime animus eminet, ut citra motum quoque et hilaritate enitescant ac tristitiae quoddam nubilum ducant. Quin etiam lacrimas his natura mentis indices dedit, quae aut erumpunt dolore, aut laetitia manant. Motu vero intenti, remissi, superbi, torvi, mites, asperi fiunt; quae ut actus proposcerit, fingentur. Rigidi vero et extenti, aut languidi et torpentes, aut stupentes, aut lascivi et mobiles, aut natantes et quadam voluptate suffusi, aut limi et ut sic dicam venerei, aut poscentes aliquid pollicentesve nunquam esse debebunt. Nam opertos compressosve eos in dicendo, quis nisi plane rudis aut stultus habeat? Et ad haec omnia exprimenda in palpebris etiam et genis est quoddam deserviens iis ministerium. Multum et superciliis agitur. Nam et oculos formant aliquatenus et fronti imperant. His contrahitur, attollitur, demittitur; ut una res in ea plus valeat, sanguis ille, qui mentis habitu movetur et cum infirmam verecundia cutem accepit, effunditur in ruborem; cum metu refugit, abit omnis et pallore frigescit; temperatus medium quoddam serenum efficit. Vitium in superciliis, si aut immota sunt omnino, aut nimium mobilia, aut inaequalitate, ut modo de persona comica dixeram, dissident, aut contra id, quod dicimus, fingitur. Ira enim contractis, tristitia deductis, hilaritas remissis ostenditur. Annuendi quoque et renuendi ratione demittuntur aut allevantur.* Praeter oculos naribus quoque et *labiis* multum tribuit Quinctilianus ibidem 80. *Naribus labrisque non fere quidquam decenter ostendimus, tametsi derisus iis, contemtus, fastidium significari solet. Nam et corrugare nares, ut Horatius* (Epistt. I, 5, 23.) *ait, et inflare et movere et digito inquietare, et pulso subito spiritu excutere, et diducere saepius, et plana manu resupinare, inde-*

ginem animi vultum esse, iudices oculos. Atque hanc unam partem esse corporis intelligebant, quae quot animi essent motus, tot significationes et commutationes posset efficere. Neque vero esse quemquam putabant, qui eadem connivens[57] efficeret. In quam rem Teophrastus Tauriscum quendam, oratorem Graecum, referebat solitum esse dicere, actorem, qui in agendo connivens aliquid pronunciaret, non differre ab eo, qui aversus ab auditoribus diceret. Oculos autem a natura nobis datos esse, ut equo et leoni iubas, caudam, aures, ad motus animi declarandos; omnem itaque vultum oculis gubernari dictitabant.[58] Oris quidem non esse nimium mutandam speciem, ne ad ineptias aut ad pravitatem aliquam deferamur; oculorum vero tum intensione, tum remissione, tum coniectu, tum hilaritate motus animorum apte cum ipso genere orationis esse significandos.[59] — De *gestu* in universum praecipiunt, ut

---

corum est, cum emunctio etiam frequentior non sine caussa reprehendatur. Labra et porriguntur male et scinduntur et adstringuntur et diducuntur et dentes nudant et in latus et paene ad aurem trahuntur et velut quodam fastidio replicantur et pendent et vocem tantum altera parte dimittunt. Lambere quoque ea et mordere deforme est, cum etiam in efficiendis verbis modicus eorum esse debeat motus. Ore enim magis, quam labris loquendum est.

57. Cicero de Orat. III, 59, 221. *Neque vero est quisquam, qui eadem connivens efficiat. Theophrastus quidem Tauriscum quendam dixit actorem aversum solitum esse dicere, qui in agendo connivens aliquid pronunciaret.* Ceterum magna hic est de lectionis veritate dubitatio. Codices plerique *continens* et *connivens*, quo multi editores sic usi sunt, ut hic scriberent: *qui eadem contuens*, et infra: *qui in agendo, contuens aliquid, pronunciaret.* Schützium secutus Müllerus in editione Züllichaviensi dedit superiori loco: *qui eas, idem contuens*; et inferiori *qui in agendo contuens aliquid*, hac addita explicatione secundum Pearcium et Strebaeum, ut vultum oculorum rigidum semper in eadem re defixum intelligeret, et Tauriscum dixisse statueret, actorem, qui semper idem contuens pronunciaret, haud meliorem esse eo, qui staret aversus ab iis, apud quos ageret. At Schützius in altera editione: *ne in agendo connivens, aliquid pronunciaret* et superiori loco: *qui eadem connivens efficiat.* Mihi quidem prior locus sic scribendus videtur: *qui eadem connivens*, alter vero sic: *qui in agendo connivens aliquid pronunciaret.* Hac sententia: neminem esse, qui connivens idem efficiat, quod contutu et motu oculorum efficere possit. Et: actorem, qui inter agendum conniveat, non differre ab eo, qui aversus ab auditoribus dicat. Atque hoc Tauriscum quendam dicere solitum esse, referente Theophrasto. Cf. quae supra e Quinctiliano citata sunt.

58. Cicero de Oratore III, 59, 222. *Oculos autem natura nobis ut equo et leoni iubas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit. Quare in hac nostra actione secundum vocem vultus valet; is autem oculis gubernatur.*

59. Cicero de Oratore III, 59, 222. Rhetor ad Herenn. III, 15, 164. *Convenit igitur in vultu pudorem et acrimoniam esse; in gestu nec venustatem conspiciendam nec turpitudinem esse, ne aut histriones aut operarii videamur esse. Ad easdem igitur partes, in quas vox est distributa, motus quoque ratio videtur esse accommodanda. Nam si erit sermo cum dignitate, stantes in vestigio, levi dextrae motu loqui oportebit, hilaritate, tristitia, mediocritate vultus ad sermonis sententias accommodata. Sin erit in demonstratione sermo, paullulum corpus a cervicibus demittemus. Nam hoc est a natura datum, ut quam proxime tum vultum admoveamus ad auditores, si quam rem docere eos et vehementer instigare velimus. Sin erit in narratione sermo, idem motus poterit idoneus esse, qui paullo ante demonstrabatur in dignitate. Sin in iocatione, vultu quandam debebimus hilaritatem significare sine commutatione gestus. Si contendemus per continuationem, brachio celeri, mobili vultu, acri aspectu utemur. Sin contentio fiet per distributionem, celeri proiectione brachii, inambulatione, pedis dextri rara supplosione,*

nec nimia venustas[60] nec agrestis turpitudo fiat conspicua; alterum enim esse histrionum, alterum operariorum. Summas autem in omni gestu partes tribuebant manibus.[61] Quare manus, inquit Cicero, sit minus quidem arguta, sed tamen digitis subsequens verba, non exprimens; brachium procerius proiectum, quasi quoddam telum orationis.[62] Praeterea com-

---

acri et defixo adspectu uti oportebit. Sin utemur amplificatione per cohortationem; paullo tardiore et consideratiore gestu conveniet uti, similibus ceteris rebus, atque in contentione per continuationem. Sin utemur amplificatione per conquestionem, feminis plangore et capitis ictu, nonnunquam sedato et constanti gestu, moesto et conturbato vultu uti oportebit. Quinctilian. XI, 3, 72. *Dominatur autem maxime vultus. Hoc supplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc tristes, hoc hilares, hoc erecti, hoc summissi sumus. Hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc spectant, etiam antequam dicimus.*

60. Quinctilian. XI, 3, 68. *Decor quoque a gestu atque a motu venit. Ideoque Demosthenes, grande quoddam intuens speculum, componere actionem solebat. Adeo quamvis fulgor ille sinistras imagines reddat, suis demum oculis credidit, quod efficeret.* De speculo illo cf. quae supra excitavimus ex Pseudoplutarcho vit. X. orator. cap. 8.

61. Manum dextram primus e toga exseruisse, quod antea indecorum habebatur, itemque ambulasse inter agendum, *G. Gracchus* narratur a Dione Cassio Excerptt. Peiresc. c. 90. *Πρῶτός τε ἐν τοῖς συλλόγοις μεταξὺ δημηγορῶν ἐβάδιζε καὶ τὸν βραχίονα πρῶτος ἀπεγύμνωσεν, ὥστε μηδέτερον κακὸν αὐτῶν ἐξ ἐκείνου νομισθῆναι.*

62. Dextrum tantum brachium, dextramque manum intelligi, ex omni oratoris Romani habitu, toga vestiti, satis apparet. Brachium enim sinistrum toga fuisse involutum, manu sinistra colligente togam, in statuis oratorum Romanorum ad nostra usque tempora delatis cernitur. Cf. Cicero de Oratore III, 59, 220. *Omnes autem hos motus subsequi debet gestus, non hic verba exprimens, scenicus, sed universam rem et sententiam non demonstratione, sed significatione declarans, laterum inflexione hac forti et virili, non ab scena et histrionibus, sed ab armis aut etiam a palaestra* cett. Quinctilian. XI, 3, 84. *Brachii moderata proiectio remissis humeris atque explicantibus se in proferendo manu digitis continuos et decurrentes locos maxime decet. At cum speciosius quid uberiusque dicendum est, ut illud: saxa et solitudines voci respondent* (Cicero pro Archia c. 8.), *exspaciatur in latus, ut ipsa quodammodo se cum gestu fundat oratio. Manus vero sine quibus trunca esset actio ac debilis, vix dici potest, quot motus habeant, cum paene ipsam verborum copiam persequantur. Nam ceterae partes loquentem adiuvant, hae, prope est ut dicam, ipsae loquuntur. His poscimus, pollicemur, vocamus, dimittimus, miramur, supplicamus, abominamur, timemus; gaudium, tristitiam, dubitationem, confessionem, poenitentiam, modum, copiam, numerum, tempus ostendimus. Non concitant, inhibent, supplicant, probant, admirantur, verecundantur? Non in demonstrandis locis ac personis adverbiorum atque pronominum obtinent vicem? Ut in tanta per omnes gentes nationesque linguae diversitate hic mihi omnium hominum communis sermo videatur.* Et infra ibid. 89. *Abesse enim a saltatore* (scenico) *debet orator, ut sit gestus ad sensum magis, quam ad verba, accommodatus, quod etiam histrionibus paullo gravioribus facere moris fuit.* Alios quosdam manuum gestus commendat Quinctilian. XI, 3, 106. *Optime autem manus a sinistra parte incipit, in dextra deponitur, sed ut poni, non ut ferire videatur; quanquam et in fine interim cadit, ut cito tamen redeat; et nonnunquam resilit vel negantibus nobis vel admirantibus. Hic veteres artifices illud recte adiecerunt, ut manus cum sensu et inciperet et deponeretur.* Et infra ibid. 112. *Tolli autem manum artifices supra oculos, demitti infra pectus vetant; adeo a capite eam petere, aut ad imum ventrem deducere, vitiosum habetur. In sinistrum intra humerum promovetur; ultra non decet.* — Et infra 114. *Manus sinistra nunquam sola gestum recte facit; dextrae se frequenter accommodat, sive in digitos argumenta digerimus, sive aversis in sinistrum palmis abominamur, sive obiicimus adversas, sive in latus utramque distendimus, sive satisfacientes, aut supplicantes* cett.

mendabant statum erectum[63] et excelsum; rarum incessum[64], nec longum; excursionem moderatam eamque raram; monebant, ne mollitia cervicum[65] orator uteretur neve digitorum argutiis. Atque has digitorum argutias, quomodo vitaverint, quum digitis verba subsequi vellent, non dixerim.[66] Nolebant articulos ad numeros cadentes, sed virilem laterum flexionem, praecipiebantque, ut trunco magis toto moderarentur sese oratores, et dextri brachii proiectione

---

63. Quinctilian. XI, 3, 68. *Praecipuum vero in actione, sic ut in corpore ipso, caput est, cum ad illum de quo dixi, decorem, tum etiam ad significationem. Decoris illa sunt, ut sit primo rectum et secundum naturam. Nam et deiecto humilitas et supino arrogantia, et in latus inclinato languor et praeduro ac rigente barbaria quaedam mentis ostenditur.* Et paullo inferius ibid. 82. *Cervicem rectam esse oportet, non rigidam aut supinam. Collum diverso quidem, sed pari deformitate et contrahitur et extenditur; sed tenso subest labor tenuaturque vox ac fatigatur. Affixum pectori mentum minus claram et quasi latentiorem presso gutture facit. Humerorum raro decens allevatio atque contractio est; breviatur enim cervix et gestum quendam humilem atque servilem et quasi fraudulentum facit, cum se in habitum adulationis, admirationis, metus fingunt.*

64. De incessu sic praecipit Quinctilian. XI, 3, 124. *In pedibus observatur status et incessus. Prolato dextro pede stare et eandem manum ac pedem proferre, deforme est. In dextrum incumbere interim datur, sed aequo pectore* (h. e. non propendente superiori parte corporis, ita ut corpus in dextrum pedem pronum incumbat), *qui tamen comicus magis, quam oratoris gestus est. Male etiam in sinistrum pedem insistentium dexter aut attollitur, aut summis digitis suspenditur. Varicare* (dispansis pedibus stare) *supra modum, et in stando deforme est, et accedente motu obscenum. Procursio opportuna brevis, moderata, rara. Conveniet etiam ambulatio quaedam propter immodicas laudationum moras; quanquam Cicero rarum incessum neque ita longum probat. Discursare vero et, quod Domitius Afer de Sura Mallio dixit, satagere* (quasi in angustiis circumcursitare), *ineptissimum; urbaneque Flavus Virginius rogavit de quodam suo antisophista, quot millia passuum declamasset? Praecipi et illud scio, ne ambulantes avertamur a iudicibus. — Interim tamen recedere sensim datur. Quidam et resiliunt, quod est plane ridiculum.* Multa eorum, quae h. l. vituperat Quinctilianus, in pravi oratoris exemplo, quod depingit Lucianus in *Rhetorum praeceptore* c. 19. 20. 21., exagitantur.

65. Mollitiam cervicum intelligo crebram cervicis flexionem eiusque inclinationem, quam cavendam Quinctilianus praecipit XI, 3, 82. *Cervicem rectam esse oportet.* Quem locum supra dedimus. Eandem mollitiam exagitat Lucianus in Rhetorum praeceptore c. 11. *ἐπικεκλασμένον τὸν αὐχένα, γυναικεῖον τὸ βλέμμα.*

66. De digitorum flexu satis diligenter praecipit Quinctilian. XI, 3, 92. *Est autem gestus ille maxime communis, quo medius digitus in pollicem contrahitur, explicitis tribus, et principiis utilis — et in narrando certus* cett. Et infra 93. *Duo quoque medii* (digiti) *sub pollicem veniunt et est hic priore gestus instantior, principio et narrationi non accommodatus. At cum tres contracti pollice premuntur; tum digitus ille, quo usum optime Crassum Cicero dicit, explicari solet.* Locus Ciceronis est de Oratore II, 45, 188. *Quae mehercule ego, Crasse, cum a te tractantur in caussis, horrere soleo; tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor oculis, vultu, gestu, digito denique isto tuo significari solet* cett. Pergit Quinctilianus l. c. *Is* (digitus) *in exprobrando et indicando, unde ei nomen est, valet; et allevata ac spectante humerum manu paullum inclinatus affirmat; versus in terram et quasi pronus urget; aliquando pro numero est. Idem summo articulo utrinque leviter apprehenso, duobus modice curvatis, minus tamen minimo, aptus ad disputandum est. Acrius tamen argumentari videntur, qui medium articulum potius tenent, tanto contractioribus ultimis digitis, quanto priores descenderunt.* Reliqua apud ipsum Quinctilianum legenda sunt. Quae quo minus his nostris temporibus nostrisque oratoribus sunt utilia, eo facilius a nobis omitti posse iudicamus. Ad *argutias digitorum* explicandas haec fortasse sufficiunt.

in contentionibus, contractione vero in remissis orationis partibus uterentur.[67] Atque ita Cicero in Antonio, summo oratore, laudat gestum non verba exprimentem, sed sententiis congruentem, manus, humeros, latera, supplosionem pedis, statum, incessum omnemque corporis motum cum verbis sententiisque consentientem fuisse dicit. Ergo apud veteres in usu fuit, quod nobis vix permissum esse putaverimus, supplosio pedis[68], cui interdum addebant feminis plangorem h. e. percussionem[69], imo ne capitis quidem ictum alienum esse volebant in conquestione maxime et commiseratione.

His adiungenda censui, quae habet de pronunciatione *Curius Fortunatianus Consultus,* serioris aetatis rhetor. Quae quanquam sunt maximam partem petita ex scriptis Ciceronis et Quinctiliani, nolui tamen ea omittere, nequid deesse videretur, quod ad veterum actionem oratoriam illustrandam facere posset.

Pronunciationem quid Tullius vocat? Actionem. Ea quid praestat? Ut conciliemus, persuadeamus, moveamus. His generaliter et naturaliter quid accidit? Delectatio. Pronunciatio quibus modis constat? Voce, vultu, gestu. His quid accidit? Cultus sive habitus. Vox quibus constat? Natura et scientia. In natura vocis quid observabo? Qualem vocem habeas. Ea quibus constat? Quantitate et qualitate. In vocis scientia quid observabo? Quomodo ea utaris. Bonitas vocis quibus constat? Claritate, firmitate, suavitate. Claram quae res efficit? Anaphonesis. Quid firmam, quid suavem? Observantia cibi et potus et Veneris continentia. Haec omnia quae res praestat? Natura, quae augetur diligentia. Quae est diligentia et cura vocis? Triplex; alendi eam, custodiendi, restituendi. Vox quomodo alitur? Si a lectulo statim corpus deambulando moveamus intra mille passus; quia si quid adhuc insidet indigestum, parva exercitatio per corpus deducit; nam nimia extenuat et fatigat. Post ambulationem quid faciendum est? Statim ad studia nos conferamus. Et priusquam scribere incipiamus, ut animus legendo calescat, legemus aliquid tacite vel cum tenui murmure, tum denique[70] scribemus,

---

67. Cicero in Oratore c. 18, 39. Subiiciam his vitia, quae in gestu manuum notavit Quinctilian. XI, 3, 117. *Gestum poculum poscentis aut verbera minantis aut numerum quingentorum flexo pollice efficientis, quae sunt a quibusdam scriptoribus notata, ne in rusticis quidem vidi. At ut brachio exserto introspiciatur latus, ut manum alius ultra sinum proferre non audeat, alius in quantum patet longitudo, protendat, aut ad tectum erigat, aut repetito ultra laevum humerum gestu ita in tergum flagellet, ut consistere post eum parum tutum sit, aut sinistrum ducat orbem* (h. e. in sinistrum gestus desinat), *aut temere sparsa manu in proximos offendat, aut cubitum utrumque in diversum latus ventilet, saepe scio evenire.*

68. De supplosione pedis cf. Quinctilian. XI, 3, 128. *Pedis supplosio, ut loco est opportuna, ut ait Cicero, in contentionibus aut incipiendis, aut finiendis; ita crebra et inepti est hominis, et desinit iudicem in se convertere.* Cf. Cicero de Oratore III, 59, 220. Ibid. II, 53, 230. *Quid multa? Pedem nemo in illo iudicio supplosit, credo, ne Stoicis renunciaretur.* Adde Quinctilian. X, 7, 26. Cic. Brut. 38, 141.

69. *Femur ferire, quod Athenis primus fecisse creditur Cleon, et usitatum est, et indignantes decet, et excitat auditorem. Idque in Calidio Cicero desiderat, non frons, inquit, percussa, non femur.* Quinctil. XI, 3, 123. Adde Rhetor. ad Herenn. III, 15, 166. *Sin utemur amplificatione per conquestionem, feminis plangore et capitis ictu, nonnunquam sedato et constanti gestu, moesto et turbato vultu uti oportebit.*

70. Legitur: *tunc deinde.* Emendatio necessaria. Capperonerii Editionem non ad manus habebam.

sed non clara voce, ut quidam.[71] Post illud quid faciendum est? Ad curam vocis nos transferemus. Quae est haec? Ut sedentes versus paucos pronunciemus. Quae ratio est elocutionis, ea est et pronunciationis. Cur ita? Quoniam ut elocutio emendata esse debet, dilucida, ornata, apta; ita et pronunciatio. Quomodo erit emendata? Si vitio careat. Quid dilucida? Ut sonus vocis medius sit, nec gravissimus nec acutissimus. Quid ornata? Ut virilis. Quid apta? Ut monotoniam vites[72], id est, ut varia utaris pronunciatione. Id quemadmodum faciam? Pro qualitate rerum, id est negotiorum. Rei observatio qualis est? Quadruplex, una in tota causa, ubi sunt et genera dicendi; altera in partibus orationis; tertia in sensibus; quarta in verbis. Nam pro qualitate horum omnium esse debet. Huic distributioni quid accidit? Ut personarum etiam et locorum et temporum servemus qualitatem. Apte principia quemadmodum pronunciabo? Si qualitatem figurarum id est schematum diligenter inspexeris; aliter enim in causa *εὐδόξῳ* et *ἀμφιδόξῳ* et *ἀδόξῳ* et *δυςπαρακολούθῳ* pronunciandum est. Quid narrationem? Si omnes eius partes consideravimus. Quid partitionem? Expedite ac simpliciter. Quid argumentationem? Varie, agiliter, acriter, pugnanter et instanter. Quid epilogos? Si partes eius perspexeris. Quid sensus? Si locos quoque communes lenta et gravi voce, deinde per gradus paullatim extollamus, ut quantum potest, surgant; tum rursus per eosdem gradus eam paullatim revolverimus, donec sine damno ad murmur usque perveniat. In exercitatione ista qui modus est? Non amplius quingentorum versuum, quia plus vox laborat in lectione, quam in vera actione; si tamen angustia temporum toleret[73] et res pronunciantis. Vox quomodo custodienda est? Quoties declamandum fuerit, si occupationes permiserint, aliquid ante pronunciabis, ut vocis itinera praemollias. Quid si fuerit repente dicendum? Hoc idem consequi poteris in ipsa moderatione actionis; ut in principiis vox tua submissa sit, deinde paullatim se intendat. Quid in desinendo observandum est? Sicut vitandum est, ne vox in clamorem subitum prorumpat, ita etiam ne a clamore subito considas.

In cibo capiendo sunt aliqua observanda? Sunt, ut stomacho inservias; nam si melius prandio valet, prandendum est saepius, non tamen semper, sed cibo tenero et exiguo, qui in coenae tempus dissipetur; in coenando autem nec multis nec gravibus utendum est. Quid in potu? Frigidis potionibus abstinebis, quia his inuruntur arteriae, calidis autem aperiuntur.

---

71. Verba sine dubio sic transponenda: *cum tenui murmure, non clara voce ut quidam, tum denique scribemus.*

72. Quinctilian. XI, 3, 45. *Vitemus igitur illam, quae Graece μονοτονία vocatur, una quaedam spiritus ac soni intentio, non solum ne dicamus omnia clamose, quod insanum est, aut intra loquendi modum, quod motu caret, aut summisso murmure, quo etiam debilitatur omnis intentio, sed ut in iisdem partibus iisdemque affectibus sint tamen quaedam non ita magnae vocis declinationes, prout aut verborum dignitas, aut sententiarum natura, aut depositio, aut inceptio, aut transitus postulabit; ut qui singulis pinxerunt coloribus alia tamen eminentiora alia reductiora fecerunt, sine quo ne membris quidem suas lineas dedissent.*

73. *Et* coniunctio vulgo deest. Requiritur necessario. Intelliguntur enim duo impedimenta: *angustia temporis* et *pronunciantis* sive *exercitantis condicio.*

Nam per illas vox fluit. Si leviter vexata fuerit vox, quid faciam? Utere acrioribus cibis, quibus si quid obstat voci et obstrepit, perrumpatur. Nam medici dormituris *laser*[74] instillant, et experrectos iubent sorbere aliquid aceti acris. Quid si vehementer fracta vox fuerit, quemadmodum eam restituam? Siti, ut eius itinera siccentur. Item ambulatione multa, ut humor in inferiora loca ex superioribus evocetur. Et vini abstinentia, quod est voci laesae infestissimum. Quod si non possumus, utemur dulci ac diluto potius. Cibus quoque lenissimus arteriae prodest. Quid si simplex? Ne multis medicamentis impedito; maxime *glycyrrhiza* utendum est, vel, si possis, succi eius modicum[75] sub lingua habeto, ad imaginem lenticulae vel pisi.

In summa quid observabo? Ne operosam vocis tutelam habeas, ne ei nimium indulgeas, et tamen parcas, ut et arteriae ne desit humor, nec supersit; oportet enim illas non humidas esse, sed lubricas. Intuearis, invectivi sint an defensionales, descriptivi an nativi, an minus. Item si figuras schematum spectes.[76] Verba quoque quam in se vim habeant, considerabo? Utique. Nam ut res et sensibus constant, ita et sensus verbis explicantur. Omnibus verbis pronunciationem accommodabo? Non omnibus, sed necessariis.

Personarum qualitatem quemadmodum spectabo? Ut scias, quid agas, apud quem, pro quo, adversus quem, quibus praesentibus, quibus oppugnantibus, quibus faventibus. In locis quid observabo? Ut scias, ubi agas.[77] Quid in tempore? Ut videas, quando tibi sit promenda oratio, ne temporis competat qualitas.

Quae de vultu praecepta sunt? Primo ut a personis eorum, quorum res agitur, affectus mutuetur. In vultu quae res plurimum valet? Oculi. Hos quemadmodum commovebimus? Pro causarum qualitate et personarum et omnium illarum rerum, de quibus in praeceptis vocis plenius dixi. In vultu oculorum tantum perspectio necessaria est? Imo et palpebrae scire debes quemadmodum moveri debeant. Cur ita? Quoniam hae velut deservientes ministerium praestant oculis. Quid aliud observabo? Supercilia. Cur ita? Quoniam his multum agitur et oculos formant et fronti imperant. His enim vultus et contrahitur et attollitur et remittitur.[78] Qualia καθόλου supercilia esse debent? Nec immota nec nimium mobilia, nec ulla inaequalitate dissidentia, nec contra ea, quae dicimus, ficta. Quid aliud in vultu observabo? Ne naribus quidquam ostendas. Cur ita? Quoniam his non fere quidquam, nisi indecenter, ostenditur. Quid aliud observabo? Ne labris quidquam ostendas, similiter ut naribus. In summa vultus qualis esse debet? Severus, non moestus, nec stupens, nec languidus.

---

74. Mendose scribitur *lasar*. Est autem *laser*, Graece τὸ λασάριον, idem quod *laserpitium*, succus silphii, assa foetida, cuius usus varius in re medica et culinaria veterum.

75. Legitur *succi eius modice*. Intelligitur paullum aliquid eius succi; quare scribendum putavi *modicum*.

76. Verba: *Intuearis — spectes* vitii aliquid contraxerunt, nisi forte plane aliena sunt ab hoc loco. Ceterum addendum videtur *loci*. *Intuearis, invectivi sint loci* cett.

77. Hic fortasse interponenda verba, quae supra alieno loco vidimus posita: *Intuearis, invectivi sint* cett.

78. Haec omnia ex Quinctiliano petita. Cf. XI, 3, 79. Ea supra iam apposuimus.

De gestu quae praecepta sunt? Ut scias gestum voci competere et animo debere, quoniam gestus motu corporis constat. In singulis membris corporis quid observabo? Ne capite soluto gestum facias, et ut scias, quale esse debeat, id est rectum, et ubi et quemadmodum moveas. Quid cervix qualis esse debet? Et ipsa recta. Quid collum? ne contrahatur aut tendatur.[79] **Quid mentum? Ne pectori sit affixum. Quid humeri? Ne eorum indecens allevatio atque contractio. Quid brachia? Ut eorum sit moderata proiectio. Quid manus? Ut has diligenter observes, quoniam plurimos habent motus. Has quemadmodum movebimus? Pro qualitate rerum, id est, generum dicendi, caussarum, partium orationis, personarum, sensuum, verborum, sicut etiam de voce dixi. Quae alia de manibus praecepta sunt? Ut eo ne protendantur, quo facies spectat, nisi forte aliquid exsecremur. In pedibus quid observandum est? Ne prolato dextro stemus, nam eandem manum ac pedem proferre deforme est. Ne nimium sint extensi, quod non tantum deforme, verum etiam obscenum est. Quae de cultu praecepta sunt? Ut sit splendidus et virilis; nam quarundam rerum levior quidem cura est, notatur tamen negligentia. Quemadmodum cingemur? Nec submisse nec succincte. Quid in umbone? Nec fluxe nec adstricte. Amictum semper observabimus? Dum incipimus tantummodo; caeterum procedente actu iam paene ab initio narrationis minime possumus. Sinus ab humero recte potest labi? Potest in ipso actu, velut sponte. Nam quum ad argumenta ac locos ventum est, reiicere a sinistro togam et deiicere eam etiam, si haereat, convenit. Quae** *καθόλου* **in actione observanda sunt? Ne pronunciatio artem redolere videatur; quod quidem non tantum in pronunciatione, verum etiam in omni opere vitandum est. Item ut quod magis decet, affectemus, ut nihil in nobis sit notabile.**

---

79. Omnia ista ex Quinctiliano sunt desumta. Cf. XI, 3, 82. Idem valet de sequentibus.

Schulnachrichten.

Mit dem wärmsten Danke gegen Gott erkennen und rühmen wir, daß das nun zu Ende gehende Schuljahr keinen Verlust und sonst keine Veränderung in dem Aufsichts= und Lehrerpersonal unserer Anstalt gebracht hat. Auch mit Krankheiten sind wir meist verschont geblieben; nur unserer Schüler viele haben im Laufe namentlich des Winterhalbjahres so sehr mit Krankheiten aller Art zu kämpfen gehabt, daß der Unterzeichnete sich keines Jahres seiner amtlichen Wirksamkeit erinnern kann, wo dies in ähnlichem Grade der Fall gewesen.

Von dem Director erschienen im Laufe des Jahres:

1.) **Dissertatio de utilitate artis gymnasticae apud Graecos. Accedunt quaedam de rebus Gymnasii superiori anno gestis.** Einladungsschrift zur Hauptprüfung 1841. S. 26. gr. 4.

2.) Einige Andeutungen über die Bauschulen des Alterthums. Einladungsschrift zur Seligmannischen Gedächtnißrede. S. 16. 8. Mit einem lithographirten Blatte.

Von dem Conrector **D.** Rückert:

1.) Ueber den Unterricht in der Chemie auf Gelehrtenschulen. S. 8. 4. Einladungsschrift zur Justischen Gedächtnißrede.

2.) Ein Wink über unser viertes Evangelium. S. 4. 4. Einladungsschrift zur Keimannischen Gedächtnißrede.

Von dem Collega **VI.** Kämmel:

Die Schwierigkeiten des Religionsunterrichtes von dem Standpuncte einer tieferen Psychologie und mit besonderer Rücksicht auf die unteren Classen der Gymnasien betrachtet. Budissin. Wellersche Buchhandlung. 1842.

Die Schulbibliothek erhielt folgende Vermehrung:

I. Durch Kauf:

1.) Einige Fortsetzungen früher angezeigter Werke.
2.) **Aristophanis Comoediae ed. Becker. Londini 1829. Vol. V.** 8 mai.
3.) Grahams Chemie, in Lieferungen.
4.) Eisenlohrs Handbuch der Physik. Mannheim 1840. 8.

Aus Auctionen:

5.) Fr. v. Raumers Herbstreise nach Venedig. Berlin 1816.
6.) Kephalides Reise durch Italien und Sicilien. 2 Bände. 8. Leipzig 1818.
7.) Sommers geographisches Taschenbuch für 1840.
8.) Raumers historisches Taschenbuch für 1840.

9.) Dr. G. H. von Schuberts Reise in das Morgenland, in den Jahren 1836 und 1837. 2 Bände. 8 gr. nebst 3 Heften Kupfern. Erlangen 1838.
10.) Boz (Charles Dikens) Oliver Twist. 3 Bände. 1839.
11.) Desselben Leben und Abenteuer des Nicol. Nikleby. 7 Bändchen. 1839.

II. Durch Schenkung:

12.) Die Menschen und die Sitten in den vereinigten Staaten von Nordamerika. Von Hamilton, übersetzt von Bout. 1834. 8.
13.) Flucht von Dresden nach Algier im Jahre 1831. 1837. 8. Geschenk des Herrn Coll. Kämmel.
14.) Die Schwierigkeiten des Religionsunterrichtes cet. von Kämmel. Geschenk des Verfassers.
15.) Charte vom Osmanischen Reiche.
16.) Charte vom alten Peloponnes.
17.) Charte von Europa.

Vorstehende drei Charten von einem ungenannten Geber, durch Herrn Kaufmann Exner hierselbst.

Den freundlichen Gebern unsern ergebensten Dank.

Die Lesebibliothek für die untern Classen ist durch folgende Bücher vermehrt worden:

1.) Die schönsten Mährchen und Sagen für Jung und Alt.
2.) Die Fahrten und Abenteuer des Leutenant Ferd. von Wrangel.
3.) Der wandernde Jugendfreund. Ein lehrreiches Unterhaltungsbuch. 2 Bände.
4.) Allwin und Theodor. Ein Lesebuch von Friedr. Jakobs.
5.) Meister Peter, oder des Weisen im Dorfe Unterhaltungen über die Natur und ihre Wunder.
6.) Jugendbibliothek von Gustav Nieritz. 9 Bändchen.

Die Naturwissenschaftlichen Sammlungen wurden im Laufe des Jahres durch die unentbehrlichsten Geräthschaften vermehrt und eine kleine Präparatensammlung hinzugesetzt, welche hernach von dem Lehrer durch selbstgefertigte Präparate eine nicht unbedeutende Vermehrung erhalten hat, und ferner erhalten wird, so weit als Zeit und Mittel ihm gestatten werden.

Uebersicht der im vollendeten Schuljahre gehaltenen Lehrvorträge und Uebungen.

I. Sprachen.

a.) Lateinisch.

In der ersten Lateinischen Classe wurden die 7. 8. 9. 10. Satire des ersten Buches und die erste des zweiten Buches von Horaz übersetzt, erklärt und auswendig gelernt und sodann die erste Hälfte des Trinumus von Plautus gelesen und erklärt, in wöchentlich 2 Stunden durch den Director.

In derselben Classe wurde von den Annalen des Tacitus zu dessen Historien übergegangen, deren Eigenthümlichkeit dem Jünglingsalter angemessener erschien, und das erste Buch ganz, vom zweiten einige Capitel vollendet, in wöchentlich 2 Stunden durch den Conrector.

In derselben Classe wurden in wöchentlich 1 Stunde Lat. Disputirübungen gehalten, die Verhandlungen aufgezeichnet, von dem aufzeichnenden Schüler zu Hause ausgearbeitet und in Form eines geführten Protocolls dem Lehrer vorgelegt und von demselben corrigirt. Außerdem schriftliche freie Aufsätze gearbeitet, und von einer ausgewählten Anzahl Primaner wöchentlich 4 Stunden privatim lat. disputirt. Unter Leitung des Directors.

In der zweiten Lat. Classe wurde von den Verrinischen Reden das dritte Buch, **de frumento,** angefangen und 50 Kapitel daraus vollendet, durch den Conrector, in wöchentlich 2 Stunden.

Mit derselben Classe las der Subrector in wöchentlich 2 Stunden Virgils **Georgica lib. I. II. IV.** und **III.,** 1—122. Zu Anfang jeder Stunde fand eine Repetition des in der vorhergehenden Stunde vollendeten Stückes Statt.

Mit derselben Classe las der **Coll. V.** Lange aus **Livii lib. V,** das 25—43. Capitel in wöchentlich 2 Stunden.

Die Sprach- und Schreibübungen der 2. Lat. Classe leitete der Conrector, wie früher.

In der dritten Lat. Classe las der Subrector in wöchentlich 2 Stunden aus Ovids Metamorph. nach Feldbausch Auswahl von 8 B. V. 547—729. und von 881 bis Ende. Buch 9, V. 1—100. Sodann 8. Buch 723—880. Buch 9, 103—272. Dann 10. Buch 1—151. Ferner 11. Buch 1—66. 10. Buch 106—142. 155—219. 529—739. Buch 11, 86—193. 266—409. Buch 12, V. 39—63. Buch 14, 581—608. 623—771. Das in einer Stunde vollendete Stück ward zu Anfang der folgenden mündlich wiederholt.

Mit derselben Classe las der Subrector das erste Buch von **Cicero de Divinatione** mit schriftl. Wiederholungen, in wöchentlich 2 Stunden.

In derselben Classe leitete und corrigirte die schriftlichen Arbeiten in wöchentlich 2 Stunden der Subrector.

Außerdem in derselben Classe stellte prosodische, so wie prosaische schriftliche und mündliche Uebungen an in wöchentlich 2 Stunden der Director.

Ferner las in derselben Classe aus Caesars Schrift **de bello civili** das erste Buch vom ersten bis 30. Capitel der **Coll. V.** Lange.

In der vierten Lat. Classe behandelte der **Coll. V.** Lange den Cornelius Nepos und las von der Lebensbeschreibung des Eumenes das 10—13. Capitel, worauf die des Phocion, Timoleon, der Könige, des Hamilkar und des Hannibal, letztere bis Cap. 10, folgten. Derselbe Lehrer erklärte in wöchentlich 2 Stunden in derselben Classe aus **Phaedri Fabb. lib. I.** die 8—18. und 19—27. Fabel.

In derselben Classe wurden aus dem zweiten Buche der historischen Chrestomathie von Böhme 23 Capitel gelesen, grammatisch erläutert und in schriftlicher Uebersetzung wiederholt, unter Leitung des **Coll. Adj.** Lachmann. Von demselben wurde in derselben Classe die Lat. Syntax nach Ellendts Schulgrammatik erklärt und eingeübt in wöchentlich 2 Stunden. In derselben Classe lehrte die Lat. Prosodie in wöchentlich 1 Stunde der Director.

Die schriftlichen Arbeiten und Correcturen in der vierten Lat. Classe leitete, wie früher, der **Coll. V.** Lange in wöchentlich 2 Stunden.

In der fünften Lat. Classe wurden in Schierlitz Lehrbuche die Erzählungen aus dem Alterthume zur Hälfte (1—59) und eine Anzahl Gespräche (**IV.** Abth. 8. 15—21) gelesen. Dabei schriftliche Präparation mit Vorübersetzung und schriftlicher Nachübersetzung, genauer Analyse der Formen und Sätze mit steter Verweisung auf Krebs Anleitung, wöchentlich in 3 Stunden unter Leitung des **Coll. VI.** Kämmel.

Mit derselben Classe wurden zugleich aus Krebs Anleitung zum Lat. Schreiben die §§. 67—230 durchgegangen und aus derselben auch die wöchentlichen Scripta genommen, wobei Wiederholung der Formenlehre nach Ellendt in wöchentlich 4 Stunden von **Coll. VI.** Kämmel.

In derselben Classe wurde in wöchentlich 2 Stunden der **Aurelius Victor de viris illustribus** vom 31. Capitel bis zu Ende gelesen, grammatisch erklärt und die schriftliche Uebersetzung gefordert. In ebenfalls wöchentlich 2 Stunden wurden die Erzählungen des 5. Abschnittes aus Gedickes Lat. Lesebuche vom 30. Stück bis Ende übersetzt. Beides unter Leitung des Cantors.

Mit derselben Classe nahm in wöchentlich 1 Stunde Lat. Wiederholungen vor der Director.

In der sechsten Lateinischen Classe wurden wöchentlich 4 Stunden auf die Erlernung der Elemente der Lat. Sprache nach Ellendts Lat. Schulgrammatik verwendet und zur Einübung des etymologischen Theils der Grammatik die practischen Vorübungen zur Kenntniß des Lateinischen für Schüler der untern Classen gelehrter Schulen, von August, in wöchentlich 1 Stunde gebraucht. Auch erhielt dieselbe Classe in wöchentlich 1 Stunde Anleitung zum Präpariren und Vocabellernen. Alles vom Cantor. In derselben Classe wiederholte die Elemente der Lat. Sprache mit den Schülern der Director in wöchentlich 2 Stunden. Ferner wurde in derselben Classe in wöchentlich 4 Stunden die Formenlehre und die ersten syntaktischen Regeln nach Blumes Lesebuch eingeübt und aus demselben Buche wöchentlich ein Specimen geliefert, wozu 2 Stunden verwendet wurden. Lachmann.

b.) Griechisch.

In der ersten Griechischen Classe wurde **Euripides Jon** so gelesen, daß ein Theil des Stückes statarisch, von dem Uebrigen aber nur die Chorgesänge so gelesen und erklärt wurden. Das ganze Drama ward zu Ende gebracht in wöchentlich 2 Stunden vom Director. In derselben Classe wurden die **Eclogae Platonis** zu lesen fortgefahren vom Conrector in wöchentlich 2 Stunden. In derselben Classe las und erklärte in Lat. Sprache der Subrector in wöchentlich 2 Stunden aus dem 1. Buch des Herodot das 94—195. Capitel und wiederholte das Gelesene zu Anfang jeder folgenden Stunde. In derselben Classe in wöchentlich 1 Stunde Aufgabe und Correctur schriftlicher Arbeiten in Prosa und Versen vom Director.

In der zweiten Griechischen Classe wurde das erste und zweite Buch von **Homeri Ilias** gelesen und erklärt, und das Gelesene zu Anfange der folgenden Stunden auswendig hergesagt. In derselben Classe wurden **Xenophontis Hellenica** mit Plutarch vertauscht und in diesem Jahre dessen Themistokles vollendet. Außerdem Aufgaben und Correctur Griech. Scripta und Griech. Syntax in wöchentlich 2 Stunden. Beides vom Conrector.

In der dritten Griechischen Classe wurden aus Arrians Anabasis das 5. Buch, aus Homers Odyssea vom 10. B. V. 55—574 und vom 11. B. V. 1—240 gelesen und erklärt, zusammen in wöchentlich 4 Stunden vom **Coll. V.** Lange. Außerdem schriftliche Uebersetzungen und grammatische Wiederholungen in wöchentlich 2 Stunden durch denselben Lehrer.

In der vierten Griechischen Classe wurden aus dem Elementarbuch von Jacobs (1. Theil) alle Sätze des ersten Cursus zur Wiederholung, aus dem zweiten Cursus aber **A, II—IV.** u. **C, b. I. III. IV. V. VI.** mit schriftlicher Vorbereitung und schriftlicher Uebersetzung, Analyse der Formen, besonders der unregelmäßigen Verben, Berücksichtigung der Wortbildung und Hinweisung auf die Hauptregeln der Syntax behandelt vom **Coll. VI.** Kämmel, in wöchentlich 4 Stunden. Außerdem wurden in wöchentlich 2 Stunden nach Heß Anleitung der Formenlehre vorgenommen.

Die Fähigeren erhielten zusammenhängende Specimina historischen Inhalts. Schriftliche Ausarbeitung von Paradigmen ward gefordert. Kämmel.

In der fünften Griechischen Classe wurde in 6 Stunden wöchentlich die Formenlehre bis zu den **Verbis contractis** nach Buttmanns Schulgrammatik eingeübt, und der dahin treffende Theil des Schneiderschen Lesebuchs mit Auswahl der Sätze gelesen und erklärt. Daneben wöchentlich Specimina nach Anleitung von Heß. **Coll. Adj.** Lachmann.

c.) Hebräisch.

Erste Hebr. Classe. Nach den im vorjähr. Programm angezeigten Grundsätzen wurde im verfl. Jahre mit Lesung der Propheten fortgefahren, und zwar zuerst Jesaia vollendet (**LVI—LXVI.**), hierauf Joel, und endlich noch von Jeremia die ersten 5 Cap. durchgelesen, vom Conrector.

In der zweiten Hebräischen Classe wurden aus **I. Samuelis** die Cap. 16—23. 24—31. und aus **II. Samuelis** die Cap. 1. 2. 5. 6. gelesen. Daneben Dictate über die Hebräische Satzlehre in einer Reihe kurzer Paragraphen mitgetheilt in wöchentlich 2 Stunden. Kämmel.

In der dritten Hebr. Classe ward die gesammte Formenlehre nach Gesenius eingeübt, zugleich mit Benutzung des Elementarbuches von Maurer durch den **Coll. VI.** Kämmel.

d.) Französisch.

Mit der ersten Französischen Classe wurde aus Menzels Handbuch wie bisher in der einen der 2 wöchentlichen Stunden gelesen, in der andern abwechselnd schriftlich eingereichte Arbeiten durchgegangen und Extemporalien gemacht. Der Conrector.

In der zweiten Französischen Classe wurden aus Idelers und Noltes Handbuch die Stücke von **Voltaire**, **Florian**, **Berquin**, **Marmontel**, **Diderot**, **Bonnet**, **Raynal**, **Thomas** und **Dupaty**, zusammen 92 Seiten gelesen, und damit Französische schriftliche Arbeiten verbunden. In wöchentlich 2 Stunden durch den **Coll. V.** Lange.

In der ersten Abtheilung der dritten Classe ward gelesen **Vertot hist. des révolutions de Portugal. S. I—XIV.** und 1—99. und alle Stunden mündliche Wiederholungen des Gelesenen angestellt. In der zweiten Abtheilung wurden die Anfangsgründe der Französischen Sprache vorgetragen und aus Hirzels Grammatik Anekdoten 1—34 gelesen, auch alle Stunden mündliche Wiederholungen angestellt. Die erste Abtheilung hatte alle 14 Tage ein Specimen zu arbeiten. Zusammen wöchentlich 4 Stunden. Der Subrector.

e.) Deutsch.

In der ersten Abtheilung für diesen Unterricht, welcher die beiden ersten Classen umfaßt, wurden Uebungen im Disponiren von Themen vorgenommen; Abhandlungen über vorgeschriebene Themen, einige Uebungen in gebundener Rede wurden gefordert und freie Vorträge über selbstgewählte Themen gehalten, diese protocollirt, das Protocoll in der nächsten Stunde vorgetragen und beurtheilt. Auch Declamationsübungen wurden angestellt. Alles in wöchentlich 2 Stunden durch den Director.

In der zweiten Abtheilung wurden die Schüler in Ausarbeitung schriftlicher Aufsätze, welche öffentlich beurtheilt wurden, geübt, überdies wöchentlich zwei auswendig gelernte Gedichte vorgetragen und ein freier Vortrag über einen selbstgewählten Gegenstand gehalten. Subrector.

In der dritten Abtheilung dieses Unterrichts, welcher die vier Lat. Classen umfaßt, wurden die Schüler wie früher in wöchentlich 2 Stunden mit Fertigung deutscher Aufsätze und Declamirübungen beschäftigt durch den **Coll. V.** Lange.

In der vierten Abtheilung wurden theils sofort kleine Aufsätze historischen und geographischen Inhalts, wozu die Schüler den Stoff erhielten, gearbeitet und beurtheilt, theils wurden die von den Schülern zu Hause gefertigten größeren Aufsätze besprochen, unter steter Bezugnahme auf Orthographie und Satzbau. Kämmel.

In der fünften Abtheilung wurde die deutsche Satzlehre behandelt mit Einübung der Regeln an Beispielen. Außerdem wurden besondere schriftliche orthographische und stilistische Uebungen angestellt in wöchentlich 2 Stunden von dem Coll. Adj. Lachmann. Eine gleiche Zeit ward dem Vortrage auswendig gelernter Gedichte, sowie dem mündlichen Nacherzählen vorgelesener Erzählungen gewidmet, wobei die 4. und 5. Abtheilung für diesen Unterricht vereinigt waren. Coll. Adj. Lachmann.

II. Realien.

a.) Religionsunterricht.

In der ersten Abtheilung für diesen Unterricht trug der Director in wöchentlich 2 Stunden die Christliche Religionslehre bis zum Schlusse vor, ließ hierauf eine kurze Geschichte der Augsburgischen Confession folgen und gab zuletzt eine gedrängte Uebersicht der Unterscheidungslehren der Römisch-katholischen und der Evangelischen Kirche. Im Griechischen Neuen Testamente ward das Evangelium Johannis gelesen in wöchentlich 2 Stunden durch den Conrector.

In der zweiten Abtheilung ward im Lehrbuche fortgefahren, später jedoch vorzugsweise Bibelerklärung vorgenommen und die Apostelgeschichte und die Briefe Jacobi, Johannis I. und an den Philemon gelesen und ausführlich erklärt. An passenden Stellen wurden die Glaubenslehren angeknüpft und ausführlicher behandelt. Wöchentlich 4 Stunden. Subrector.

In der dritten Abtheilung wurde die Lehre vom heil. Geiste, von der Heilsanstalt und den Gnadenmitteln, nach dem Katechismus von Kähler behandelt; daneben das Leben des Erlösers nach Marcus und Lucas vorgetragen. Auswendiglernen der Sprüche. Wöchentlich 4 Stunden durch den Coll. VI. Kämmel. Im letzten Vierteljahre Confirmanden-Unterricht nach Käuffers Leitfaden in wöchentlich 2 Stunden von demselben Lehrer.

b.) Philosophie.

Als philosophische Lection wurde in der ersten Classe Logik (die Elementar- und Methodenlehre) wöchentlich in 2 Stunden vorgetragen vom Coll. V. Lange.

c.) Geschichtliche Wissenschaften.

In der ersten geschichtlichen Abtheilung wurden die Römischen Antiquitäten fortgesetzt und bis auf Weniges beendigt in wöchentlich 2 Stunden durch den Director. Vortrag und Wiederholung in Lat. Sprache.

In derselben Abtheilung wurde die Geschichte des achtzehnten Jahrhunderts ziemlich von dessen Beginn bis zum Ausbruche der franz. Revolution vorgetragen. Conrector.

In der zweiten Abtheilung wurde die Geschichte der neueren Zeit mit besonderer Rücksicht auf die Entwickelung des Protestantismus in den Hauptländern Europas bis 1648 abgehandelt. Häufige Wiederholungen. 2 Stunden wöchentlich. Coll. VI. Kämmel.

In der dritten Abtheilung Geschichte der neueren Zeit nach Nösselts Lehrbuch. Stündliche Repetitionen und von Zeit zu Zeit schriftliche Ausarbeitungen. Wöchentlich 2 Stunden. Coll. VI. Kämmel.

In der zweiten geschichtlichen Abtheilung ward die Geographie des westlichen Asiens und die von Afrika vollendet, worauf die Beschreibung von Amerika begonnen wurde durch den Coll. V. Lange. Wöchentlich 2 Stunden.

In der dritten geschichtlichen Abtheilung umfaßte der geographische Unterricht das Nothwendigste der mathematischen Geographie, die Beschreibung Asiens, Afrikas und Europas; von letztgenanntem Erdtheile jedoch nur erst eine allgemeine Darstellung; in wöchentlich 2 Stunden. Coll. Adj. Lachmann.

Mathematik. Naturwissenschaften. Gemeinnützige Kenntnisse.

In den beiden untersten mathematischen Classen wurden die in früheren Berichten bereits erwähnten Theile der Zahlenlehre wieder vorgetragen. In der zweiten Classe fand zwar auch keine Abänderung statt; doch konnte in diesem Jahre das hier sonst gewöhnliche Ziel, bis in oder durch die Stereometrie, nicht erreicht werden. Dagegen war es mit der ersten Classe einmal wieder möglich, die Lehre von den Kegelschnitten zu behandeln, worauf gegen Ostern noch die kubischen Gleichungen theoretisch und praktisch durchgegangen wurden.

In den der Naturwissenschaft gewidmeten Stunden wurde aus Gründen, welche das vorjährige Programm des Lehrers zur Justischen Gedächtnißrede entwickelte, die Chemie zum ersten Male in den Kreis des Unterrichts gezogen und im Laufe des Jahres zwar nur die Chemie der unorganischen Stoffe abgehandelt, doch dabei die Ueberzeugung gewonnen, daß bei einem wiederholten Vortrage (im Jahre 1845 so Gott will) auch von der organischen Natur ein Theil werde behandelt werden können. Es ist klar, daß es bei dieser Vermehrung der Unterrichtsgegenstände nicht auf eine Vermehrung der Unterrichtsstunden oder der Privatarbeiten der Schüler abgesehen ist. Der Conrector.

Naturbeschreibung trug der Subrector in der dritten Classe vor in wöchentlich 1 Stunde, worin er das Thierreich behandelte, jedoch nicht ganz damit zu Ende kam.

Das gemeine Rechnen ward auf die bereits im vorjährigen Programm angedeutete Weise in wöchentlich 4 Stunden geübt, von denen 2 für Quinta und Sexta bestimmt waren, in denen die Aufgaben des zweiten Cursus von Bauriegel bis zu den Decimalbrüchen ausgerechnet und dann noch eine kurze Anweisung zur Buchstabenrechnung gegeben ward, wobei die Sammlung von Beispielen aus der Buchstabenrechnung von Meier Hirsch benutzt wurde.

Die sechste Classe erhielt in wöchentlich 1 Stunde Unterricht in gemeinnützigen, diesem Alter angemessenen Kenntnissen nach Dolzes Lehrbuch der nöthigen und nützlichen Kenntnisse durch den Cantor.

III. Künste und Fertigkeiten.

Unterricht im Singen bekamen sämmtliche Classen in wöchentlich 6 Stunden durch den Cantor. Eingeübt und ausgeführt wurden mehrere Gesänge von Methfessel, Motetten von Schicht und Bach, das Stabat mater von Palästrina, Christus das Kind, Oratorium von Dr. Fr. Schneider, die Zauberflöte von Mozart, der Zauberwald von Righini, Introduction und Cavatine mit Chor des 2. Akts aus Belisar von Donizetti, der Tod Jesu, Oratorium von Graun.

Mit dem Singechore wurden in wöchentlich 2 Stunden durch den Organist und Musikdirector Sturm eine Reihe von Kirchenmusiken eingeübt und sodann in der Johanniskirche vor und nach der Predigt aufgeführt.

Im Zeichnen wurden die Schüler aller Classen von dem Zeichnenlehrer Müller in wöchentlich 4 Stunden unterrichtet.

Unterricht in der Kalligraphie ertheilte der Cantor in den drei untern Classen in wöchentlich 2 Stunden.

Gymnastische Uebungen wurden unter Leitung des Tanz- und Turnlehrers Lür während der Sommermonate in wöchentlich 4 Stunden im Freien angestellt und dieser Unterricht in diesem Jahre zum ersten Male gegeben, wofür wir unserer verehrten Gymnasial-Commission hierdurch unsern ergebensten Dank darbringen.

Zu Anfang des verflossenen Schuljahres war die Zahl unserer Schüler, nach Aufnahme von 9 Zöglingen, 80, als:

			Jetziger Stand der Classen:	
In Prima	13.		In Prima	12.
In Secunda	9.		In Secunda	7.
In Tertia	12.		In Tertia	11.
In Quarta	22.		In Quarta	21.
In Quinta	13.		In Quinta	11.
In Sexta	11.		In Sexta	11.
Summa	80.		Summa	73.

Im Laufe des Jahres wurden aufgenommen 2, von denen einer nur 3 Monate bei uns blieb. Abgegangen sind 8, von denen einer wegen Krankheit aus Prima abging, ohne sich der Maturitätsprüfung zu unterwerfen, 2 aus Secunda, um auf die chirurgische Academie nach Dresden zu gehen, 1 aus Tertia, welcher, da seine Aeltern in die Nähe von Dresden versetzt wurden, auf die Kreuzschule daselbst ging, 2 aus Quarta, um zu einem andern Berufe überzugehen, 1 aus Quinta und 1 aus Sexta.

Zu Ostern dieses Jahres werden die Universität beziehen:

1.) Karl August Eduard Rudolph, aus Oberoderwitz, 22 Jahr alt, 2 Jahr in Prima, mit Censur **II. II.**, studirt Jura.
2.) Ernst Julius Hünigen, aus Zittau, 21 Jahr alt, 2 Jahr in Prima, mit Censur **III. I.**, studirt Medizin.
3.) Julius Herrmann Albrecht, aus Böhmisch-Leutersdorf, 24 Jahr alt, 2 Jahr in Prima, mit Censur **III. I.**, studirt Theologie.
4.) Moritz Eduard Korselt, aus Türchau, 19 Jahr alt, 1½ Jahr in Prima, mit Censur **II. I.**, studirt Jura.
5.) Karl August Jüttler, aus Eibau, 18 Jahr alt, 1½ Jahr in Prima, mit Censur **I. I.**, studirt Medizin und Mathematik.
6.) Heinrich August Wilhelm Theodor Hennicke, aus Breslau, 18 Jahr alt, 1½ Jahr in Prima, mit Censur **I. I.**, studirt Theologie.

Ordnung der Prüfung.

Montags, den 14. März, Vormittags 8 Uhr:

1.) Erste Lat. Classe. **Plauti Trinumus.** Der Director.
2.) Erste Hebr. Classe. Conrector.
3.) Erste Griech. Classe. **Herodoti histor.** Subrector.
4.) Erste Mathem. Classe. Conrector.
5.) Erste Franz. Classe. Menzels Handbuch. Conrector.

Montags, den 14. März, Nachmittags 2 Uhr:

1.) Zweite Griech. Classe. **Homeri Ilias.** Director.
2.) Zweite Lat. Classe. **Cic. Oratt. Verr.** Conrector.
3.) Naturwissenschaften mit der ersten geschichtlichen Abtheilung. Conrector.

4.) Zweite Hebr. Classe. Coll. VI. Kämmel.
5.) Zweite Franz. Classe. Idelers und Noltes Handbuch. Coll. V. Lange.
6.) Dritte Mathem. Classe. Conrector.

Dienstag, den 15. März, Vormittags 10 Uhr:

Aufnahme neuer Zöglinge.

Mittwochs, den 16. März, Vormittags 8 Uhr:

1.) Zweite Abtheilung für den Religionsunterricht. Subrector.
2.) Dritte Lat. Classe. Caesar de bello civili. Coll. V. Lange.
3.) Dritte Griech. Classe. Arriani anabasis. Coll. V. Lange.
4.) Geschichte mit der zweiten geschichtlichen Abtheilung. Coll. VI. Kämmel.
5.) Vierte Lat. Classe. Böhmes Chrestomathie. Coll. Adj. Lachmann.

Mittwochs, den 16. März, Nachmittags 2 Uhr:

1.) Vierte Griech. Classe. Jacobs Elementarbuch. 2. Abthl. Coll. VI. Kämmel.
2.) Fünfte Lat. Classe. Schierlitzs Lesebuch. Coll. VI. Kämmel.
3.) Fünfte Griech. Classe. Schneiders griechisches Lesebuch. Coll. Adj. Lachmann.
4.) Geographie mit der dritten geschichtlichen Abtheilung. Coll. Adj. Lachmann.
5.) Sechste Lat. Classe. Cantor.

Sonnabends, den 19. März, Vormittags 10 Uhr, findet die Austheilung der Censuren statt, und Dienstags, den 22. März Nachmittags, die Confirmation der Katechumenen.

Entlassungsfeier.

Montags, den 21. März, Vormittags 9 Uhr, wird im Saale des Gasthauses zur goldenen Sonne die Entlassungsfeier gehalten werden, wobei folgende Schüler um die Erlaubniß bitten, ihre Redeversuche vorzutragen:

Heinrich August Wilhelm Theodor Hennicke wird in Lat. Distichen sprechen über das Thema: Ingenuas didicisse fideliter artes emollit mores nec sinit esse feros.

Karl August Füttler wird die Frage behandeln: Haben die Deutschen wirklich Grund, auf ihren Namen stolz zu sein?

Ernst Julius Hünigen wird in Deutschen Versen sprechen: Ueber den Einfluß der Tonkunst auf das menschliche Herz.

Hierauf: Entlassung.

Zum Schlusse wird

Friedrich Wilhelm Hänsel aus Zittau in Lateinischer Prosa nachzuweisen suchen: quam falso conquerantur vulgo, homines ac tempora in dies magis depravari. Dieser wird zugleich den Abgehenden ein Lebewohl nachrufen.

Endlich wird den 27. März, als am ersten Osterfeiertage, Abends 6 Uhr, im Saale des Gasthauses zur goldenen Sonne, das diesjährige Osterconcert des Singechors aufgeführt, und dabei

1.) Der Lobgesang, eine Symphonie. Cantate nach Worten der heiligen Schrift, comp. von Mendelssohn-Bartholdy zum Buchdruckerfeste in Leipzig;
2.) Christi Auferstehung, Oratorium, zusammengesetzt nach Klopstock, comp. vom Ritter Neukomm.

gegeben werden, unter Leitung des Organisten und Musikdirectors Sturm.

Die hochverehrten Beschützer und Freunde unseres Gymnasiums, nicht minder die Aeltern und Pfleger unserer Zöglinge, sowie Alle, welche an dem Gedeihen unserer Anstalt Theil nehmen, ladet der Unterzeichnete zu freundlicher Gegenwart bei diesen Feierlichkeiten ein und bittet um aufmunternden, gütig zahlreichen Besuch.

Gymnasium zu Zittau, den 9. März 1842.

Der Director **Friedrich Lindemann.**